15°. loco successit in episcopatu Coloniensi, Rangefredus vel Regynfridus sub Theoderico II. et Hilderico II. anno domini 754.[18]

16°. loco sedit in cathedra pontificali Coloniensis ecclesie Hildegerus, sub Pipino III. filio Karoli Martelli, qui etiam Pipinus nanus dicebatur, qui depulso a regno, per optimates regni Francie, Hilderico inutili et desidioso, autoritate Zacharie pape, in regem Francorum fuit sublimatus, de quo genitus est Karolus magnus. Iste siquidem Hildegerus, cum dicto Pipino Francorum rege, cum magno exercitu contra Saxones dimicante et vsque ad flumen Weseram proficiscente, in expeditione dicti exercitus, cum eodem Pypino militans extitit interfectus.[19]

17°. loco successit in episcopatu Coloniensi sub dicto Francorum rege Pypino Berthelinus et sedit annis decem.[20]

18°. loco sub Karolo magno Romanorum imperatore et Francorum rege sedit in cathedra Coloniensis ecclesie Ricolfus annis 22.[21]

19°. loco sub eodem Karolo et filio ipsius Ludowico I. rexit ecclesiam Coloniensem Hildeboldus annis 34, qui etiam dictum Ludowicum vnxit in regem Romanorum.[22]

20°. loco sub dicto Ludowico I. sedit in episcopatu Haltebaldus annis 12, vel Hadebaldus ao. dni. 863.[23]

21°. loco rexit Colonie pontificalem cathedram Guntharius sub Ludowico II. et Lothario II. fratribus impera-

---

17) Agilolph Bischof seit 712 und wie Einige (bei Blum S. 22) wollen, durch Weihe des Papst's Gregor III. seit 1717 der erste Cölnische Erzbischof, † 31. März 717. Man vergl. aber die Note 10. — 18) Regenfried † 1. Octob. 747. — 19) Hildeger † 753, bei Mörckens folgt ihm erst: Hildebert † 28. Juni 762 und dann Bertholin. — 20) Bertholin oder Berthelm † 5. Febr. 772. — 21) Ricolf † 782. — 22) Mit Hildebold beginnt Mooyer Onomasticon p. 28. seit d. J. 800 die Reihe der cölnischen Bischöfe. Derselbe kam zur Regierung 784 und † 3. Sept. 819. — 23) Hadebald wurde Erzbischof 819 und † 842. Auf ihn folgte Hildewin 842 und † 27. Sept. 849. Da er aber die päbstliche Confirmation nicht erlangte, so war eigentlich Sedisvacanz bis 850, wo Günther folgte.

toribus, cujus Guntharii dum Lotharius predictus habens sororem concubinam nomine Waltradam, volensque vxorem legitimam nomine Thebergam dimittere et eidem in matrimonio superducere prefatam Waltradam et ad inductionem dicti Guntharii falso fuisset contra dictam Thebergam compositum crimen incestus et hoc per eundem Guntharium et Theugaldum Treuerensem archiepiscopum fuisset synodiaca sententia confirmatum, dicti ambo archiepiscopi per Nycolaum $1^{um.}$ papam fuerunt depositi, de qua depositione habetur in decretis . . . . contra Theugaldum etc.[24])

22°. loco (ao. dni. 870) sub Karolo III. qui dicebatur junior et fuit nepos Luodowici I. et cognomento pij et sub Arnulpho imperatoribus, tenuit episcopatum Coloniensem Willibertus annis 20, qui et dedicauit ecclesiam s. Petri in Colonia antiquam, in qua similiter habuit sepulturam.[25])

$23^{9}$. loco (a. d. 889) sub dicto Arnulpho, Lodowico III. et Conrado I. necnon Hinrico I. imperatoribus, sedit in ecclesia Coloniensi Hermannus archieps, cognomento pius, annis 35 in dicta ecclesia s. Petri tumulatus.[26])

24° loco (a. d. 924) sub Hinrico I. supradicto et Ottone I. imperatoribus prefuit ecclesie Coloniensi Wycfredus annis 25. Iste Wicfridus fuit de Juliaco et erat frater Godefridi quondam comitis Juliacensis.[27])

25°. loco (a. d. 946) successit ecclesie Coloniensi in cathedra Bruno I. sub Ottone primo et magno imperatore, cujus idem Bruno fuit frater germanus, sedens annis 12.

---

24) In margine ist nachgetragen: Hic fuit à Nycolao papa excommunicatus ob hanc causam; nam Ludowicus imp. filius Caroli $3^{ii.}$ habuit filium nomine Lotharium, cui Ytalie regnum commisit, qui Lotharius diuino amore succensus, regnum reliquit filio suo Lothario et Prumie monachum se fecit. Iste Lotharius habuit concubinam, nomine Waldradem Guntheri episcopi sororem, quam instinctu prefati episcopi legitime vxori sue Tyberge superduxit, ob quam causam idem Guntherus a papa excommunicatus est, verum post interdictum episcopale officium, pecunia ductus, Romam veniens minime reconciliari valuit; qui dum contumax apud Xanctum diuinum officium usurparet, feritur ab angelo dni. sacris vestibus exutus, ante Altare domini occisus. Günther wurde Erzbischof 20. April 850 und entsetzt 30. März 864. Nach ihm Sedisvacanz bis 870. — 25) Willibert Erzbischof seit 7. Januar 870, † 11. Sept. 889. — 26) Hermann I Erzbisch. 890, † 11. April 920. — 27) Wigfried Erzbisch. 925, † 9. Juli 953.

Hic Bruno factus episcopus sponsam inclitam Coloniam a jugo ancillari excussit, frenum tributi ejus soluit ac libertati eam pristine donans, primus in ea glorie . . . . . . . inseruit. Preterea imperatore fratre ejus ytaliam itinerante, Galliarum procuratione sibi delegata, terram a latrociniis usque quaque purgans, Francis rebellantibus bellum intulit et adepta victoria, vrbem Parysiensem insignem cepit et thesauris spoliauit. Ipse et ducem Lotharingie latrocinantem, bello victum, in vincula conjecit et judicio fratris reseruatum, per sententiam dicti imperatoris et principum, ducatum Lotharingie Coloniensi ecclesie acquisiuit; cum ante hec tempora archiepiscopi Colonienses non judicio gladii temporalis sed tantummodo baculi pastoralis jurisdictione vsi fuissent. Idem et castrum Tuitiense propter aduersitatem rebellantium confregit, pontemque vltra Renum fluuium ex aduerso Colonie deductum, propter frequentia latrocinia in eo commissa dejecit, corpora sanctorum Euergisli, Patrocli, Elifii et Priuati, de diuersis locis collecta, Coloniam transtulit vna cum baculo sti Petri apostoli et cathena; multas ecclesias, alias quidem a fundamentis erexit, alias possessionibus dotauit, alias dirutas reparauit ad vltimum cenobium s. Panthaleonis extra muros Colon. instituit, vbi sepultus feliciter in domino requiescit. Ipse quoque primus Coloniam a tributis liberam esse fecit.[28])

26°. loco (ao. dni. 963) sub dicto Ottone I. imperatore tenuit cathedram archiepiscopalem Coloniensem Volchmarus annis 4.[29])

27°. loco (ao. dni. 969) successit eidem in sede pontificali sub dicto Ottone et filio ejusdem II., sedens annis 7, vir valde religiosus nomine Gero, qui instituit abbatiam in Gladbach, sepultus Colonie in ecclesia s. Petri. Iste Gero per Warinum successorum suum, vt dicitur, viuus fuit sepultus, laborauit enim idem episcopus Gero infirmitate capi-

---

28) Bruno I. Herzog v. Sachsen, Erzbischof 30. August 953, † 11. October 965. — 29) Volkmar Erzbisch. 965, † 18. Juli 969.

tis ita, vt sepe per aliquot dies jaceret sine sensu et illo modo sepultus interficitur.[30])

28°. loco (ao. dni. 976) sedit in cathedra pontificali Coloniensis ecclesie sub Ottone II. Warinus annis 19, qui de facto suo, scilicet quod antecessorem suum viuum sepelisse dicebatur, penitens, impetrata a dno. papa indulgentia, cenobium s. Martini in Colonia collapsum reparauit et emendauit et nationi Scothorum in perpetuum tradidit; qui etiam partem baculi s. Petri per medium secans, partem superiorem ecclesie Coloniensi retinuit et partem inferiorem tradens et restituens ecclesie Treuerensi.[31])

29°. loco (ao. dni. 994) sub Ottone III. sedit in cathedra Coloniensis ecclesie Euergerus annis 15, sepultus in ecclesia s. Petri.[32])

30°. loco (ao. dni. 1009) sub dicto Ottone III. et Hinrico II. successit in pontificatu Coloniensis ecclesie s. pontifex Heribertus, annis viginti vno, cujus vita et sanctitas et miracula, in ipsius legenda habentur, de cujus tamen gestis aliquid placet adnotare. Fuit namque idem s. Heribertus exutus cum dicto Ottone imperatore in ytalia. In archiepiscopum est electus et accepta ab ipso imperatore, qui multum sibi fauebat inuestitura, annulo scilicet et baculo, auctoritate dni. pape in archiepiscopum Coloniensem extitit consecratus. Cum autem aliquo tempore imperatore de Ytalia recedente stetisset in precibus, reuertente iterum imperatore in Ytaliam, habuit in comitatu dictum s. Heribertum, de cujus precibus et concilio multum confidebat, habito siquidem in via de animarum salute familiari colloquio, in hoc vterque conuenerunt, imperator et archiepiscopus, quod is eorum qui primo sospes reuerteretur ad patriam, edificare deberet decentem conuentum, in honore dei genitricis Marie, ad quem et perficiendum larga dicto pontifici predia tradidit imperator. Ipso vero imperatore, non longe postquam vrbem ingressus fuerat, Rome defuncto,

---

30) Gero Markgraf der Lausitz, Erzbischof 969, † 28. Juni 976. — 31) Warin Erzbisch. 976, resignirte 984. — 32) Everger Erzbischof 984, † 11. Juni 999.

corpus ipsius per dictum s. Heribertum, de hac re adhuc in vita per dictum imperatorem adjuratum, fuit translatum Aquisgranum et ibidem in ecclesia beate virginis Marie honorifice tumulatum. S. itaque Heribertus, sponsionis quam imperatori in via fecerat non immemor, edificauit et instituit abbatiam Tuitiensem, in honore bte. virginis, vbi et postmodum sepultus, in domino feliciter requiescit, miraculis choruscando. Exuto igitur sicut supradictum est, Ottone imperatore in Ytalia et Hinrico II., absente adhuc s. Heriberto, ad imperium electo, habuit idem Hinricus imperator prefatum s. Heribertum diu suspectum super eo, quod primo electionis sue tempore, dum insignia imperii apud se haberet, dyadema regni in alium transferre temptauerit. Mansit ergo inter seruos dei, imperatorem scilicet et s. Heribertum, simulate pacis longa discordia et dum imperator archiepiscopo multa ad rem non pertinentia grauia sepe inponeret, que archiepiscopus tamen sustinuit patienter, tandem ipse imperator adueniens Coloniam et indignantem contra archiepiscopum gerens animum, ab ipso tamen archiepiscopo fuit officiosissime receptus. Cum autem nocte sequenti imperator sompnum caperet, vidit sibi astare personam aspectu terribilem, sacerdotali infula decoratam et sibi comminando dicentem, ne quidquam sinistri contra seruum dei Heribertum vlterius moliretur. In crastinum ergo Augustus in throno residens et ex industria per internuncios immensam pecuniam ab archiepiscopo exigens, quod tamen in animo non habebat, dum archiepiscopus ad eum ingrederetur et mestis deploraret calumpnias, quas ab eodem innocens pateretur, astantibus et nonnullis animum imperatoris contra archiepiscopum inflammantibus ad indignationem, ad hec Augustus surgens de throno prorupit et in amplexus et oscula sti viri et confessus est, se fuisse malorum concilio deprauatum et pro commissis veniam supplicans expetiuit. Dum ergo essent osculo pacis federati, erubescentes aduersarii delabuntur et imperator atque archiepiscopus juxta se in solio collocarunt de negotiis reipublice tractatari. Sequenti vero nocte, dum archiepiscopus pius matutinas in ecclesia solus

in oratione persisteret, obseruata hora congrua, vno duntaxat comite clerico, clamide pedibus aduoluitur, confitens humiliter in eum se peccasse et ita cessauit inter eos tota discordia, nullo rancoris vestigio remanente.[33])

31°. loco (ao. dni. 1031) sub Conrado II. sedit annis 15 in cathedra Colon. ecclesie Pylegrinus. Hic instituit collegium sanctorum apostolorum in Colonia et ecclesiam prius a s. Heriberto inceptam, feliciter auxit et consummauit, vbi et sepultus in domino requiescit.[34])

32°. loco (ao. dni. 1035) sub Hinrico III. imperatore prefuit Colon. ecclesie annis 20, Hermannus II. Coloniens. archiepiscopus cognomento nobilis, sepultus in ecclesia s. Petri. Hic ecclesiam s. Seuerini ex vetustate collapsam renonauit et ampliauit. Ad istum Hermannum archiepiscopum Coloniensem, Franco scolasticus Leodiensis, et scientia literarum et morum probitate clarens, scripsit librum de quadratura circuli, de qua re Aristoteles ait circuli quadratura si est scibile, sciam quod mondum est; illud vero scibile est, quod consecrauit ecclesiam Goslariensem scil. Hermannus anno XI. Henrici III.[35])

33°. loco (ao. dni. 1056) successit in pontificatu Coloniensi s. Anno II. sedens sub Hinrico III. qui et eundem ad pontificatum promouit et sub Hinrico IV. imperatoribus annis 20. Hic sanctus vir Anno, natione de Dassele, cum adhuc esset in statu minori et prepositus Goslariensis, in expeditione exercitus, quod Hinricus III. ad Pannonias contra Vngaros rebelles imperator duxit, imperatorem comitans, in bello cum iisdem Vngaris commisso, dicitur fortius omnibus dimicasse. Ipse jam mortuo dno. Hinrico 3°. et filio ejusdem Hinrico IV. adhuc paruo 5tum vix agente annum per patrem, in successorem regem designato et matri sue Agneti auguste, per optimates regni ad educandum commendato, eundem Hinricum annuentibus nonnullis regni princi-

---

33) Heribert Graf v. Rothenburg wurde gewählt im Juli oder August und bestätigt 25. Dez. 999, † 16. März 1021. – 34) Piligrim Erzbisch. 1021, † 25. August 1036. — 35) Hermann II., Pfaltzgraf, Erzbischof 1036, † 11. Febr. 1056.

pibus, vna cum lancea et aliis regni insignibus, ab ipsa matre augusta per vim abstraxit et in suam recipiens commendam, Coloniam secum adduxit. Idem quoque vir dei commendabat et sancte vite instituit celebres congregationes, primam s. Marie ad gradus in Colonia, $2^{dam}$ ad s. Georgium ibidem, $3^{iam}$ in monte Syberg vbi etiam requiescit, $4^{am}$ in Thuringia, in loco qui dicitur Saluelt, $5^{am}$ in Westphalia in loco qui dicitur Grascop. Transtulit quoque idem vir sanctus corpora gloriosorum duorum martyrum, sanctorum Ewaldorum in ecclesiam s. Cuniberti Colonie dudum sepulta et ea de neglectis loculis recolligens, in capsis auratis, decenter cum reuerentia reponens, fecit eorumdem memoriam esse celebrem sub anno dni. 1074. 5°. nonis mensis octobris. Cetera sanctitatis ejusdem et vite atque doctrina ejus et miraculorum plurima celebris memorie insignia, patent in legenda ipsius et in scripturis sanctis que apud multas ecclesias auctentice reseruantur; sepultusque est in Syberg.[36])

34°. loco (ao. dni. 1076) sub dicto Hinrico IV. tenuit sedem episcopalem Coloniensem Hyldolphus 3 annis. Hic fuit capellanus Hinrici IV. imperatoris, sepultus in ecclesia s. Petri.[37])

35°. loco (ao. dni. 1091) sub eodem Hinrico IV. imperatore sedit in pontificali sede coloniensi Sygewinus annis 10. major ecclesie decanus, sepultus in ecclesia s. Petri.[38])

36°. loco (ao. 1102) sub Hinrico IV. supradicto, prefuit Coloniensi ecclesie Hermannus III. qui diuite cognomento vocabatur, annis 10 et mens. 6, sepultus in capitolio Sigebergensi.[39])

---

36) Anno II. gehörte nicht zu der Familie v. Dassel, sondern war ein Herr von Hohenland und Sonnenberg, geboren auf der Burg Steußlingen in Schwaben. Stälin Wirtembergische Geschichte I, 566. Umständlichere Nachricht von seiner Familie gibt Mooyer: Anno II. der Heilige, Erzbischof von Cöln; in der Zeitschrift für westfälische Geschichte. VII, 39. Er wurde Erzbischof 3. Märtz 1056, † 4. Dez. 1075. — 37) Hildolf Erzbischof 6. Märtz 1076, † 20. Juli 1079. – 38) Sigewin Erzbischof 1079, † 31. Mai 1089. — 39) Hermann III. Graf v. Nordheim, Erzbisch. im Juni 1089, † 21. Nov. 1099.

37°. loco (a. 1112) sub prefato Hinrico IV. (Hinrico V.) et Lothario III. imperatoribus sedit in pontificatu ecclesie Coloniensis F r e d e r i c u s I., 36 annis. Iste prefatum Lotharium vna cum vxore sua Rixa, Colonie vnxit in regem. Ipse quoque plus ordinatione Henrici IV. imperatoris supradicti, quam electione priorum fuit in archiepiscopum ordinatus. Nam vsque ad hec tempora imperatores inuestituram annuli et baculi concedere consueuerunt. Idem quoque contra innumeram multitudinem Sweuorum et Bauarorum, parua licet manu, in campis Andernaci confligens, feliciter triumphauit; fundauit autem monasterium in Rolandes werde et cellam in Remago, sepultus in monasterio Syberg.[40])

38°. loco (a. 1132) sub Lothario III. imperatore, cepit sedem ecclesie Coloniensis B r u n o II. prius prepositus sti Gereonis, filius Adolphi I. Comitis d e A l t e n a, repulsa canonica electione priorum, de Godefredo preposito Xanctensi facta, per violentiam, fauore imperatoris, in cathedram pontificalem Coloniensis ecclesie, in sui perniciem intrusus, sedit annis 6; qui dictum Lotharium imperatorem in expeditione armati exercitus in Ytaliam comitatus, apud Barum ciuitatem Ytalie obiit, sepultus ibidem. Hic construxit cenobium veteris montis.[41])

39°. loco successit in pontificatu Coloniensi H u g o, prius major decanus, qui per Innocentem II. papam in archiepiscopum Coloniensem consecratus, paucis funxit diebus. Imperatorem similiter in Ytaliam comitatus apud dictam ciuitatem Barum defunctus et juxta antecessorem suum Brunonem tumulatus.[42])

40°. loco (a. 1138) sub Conrado III. sedit in cathadra Coloniensis ecclesie A r n o l d u s I. annis 11, qui fuit prius prepositus ss. Apostolorum, cum accusatus de Symonia, quia in concilio per Eugenium papam apud Remis celebrato

---

40) Friedrich I. v. Kärnthen, Markgraf v. Friaul, Erzbisch. 1099, † 25. Octob. 1131. — 41) Bruno II. Graf v. Altena-Berg, Erzbisch. 25. Dez. 1131, † 29. Mai 1137. — 42) Hugo Graf v. Sponheim, Erzbisch. im Mai 1137, † 1. Juli 1137.

non affuit, ab eodem Eugenio fuit depositus, ipse vero, cum archiepo Moguntino similiter deposito, accedens pro sua restitutione Romam, archiepo Moguntino gratiam optinente, cum tamen ipse Arnoldus multa offerret, gratiam optinere non valuit.[43])

41°. loco (a. 1151) sub Frederico I. imperatore, rexit ecclesiam Colon. Arnoldus II. annis 5. prius major prepositus, qui fuit Frederici predicti imperatoris cancellarius, ecclesiam S. Clementis in Ryndorp Colon. dyocesis, vbi et sepultus requiescit, multis ornamentis decorauit.[44])

42°. loco successit (1156) in dicte Coloniensis ecclesie cathedra Fridericus II. natione de Dassele,[45]) ecclesie s. Georgii prepositus, qui propinquorum intrusione et juniorum de clero electione, exclusa canonica electione de Gerhardo preposito Bunnensi facta, Coloniensem ecclesiam assecutus, imperatorem in Ytaliam comitatus, ab Adriano papa IV. consecratus, in pontificatu vixit duobus expletis annis. Obiit in Papia, cujus ossa inde translata, in monasterio montis veteris Coloniensis dyocessis sunt sepulta. Iste Fredericus castrum Randerode, propter rebellionem destruxit et solo coæquauit.

43°. loco (a. 1159) Coloniensis ecclesie sedem tenuit sub Frederico I. imperatore Reynaldus prepositus Hildensemensis, similiter natione de Dassele ad petitionem Coloniensium assecutus. Vir omni probitate conspicuus, dicti imperatoris cancellarius, ipsum imperatorem in Ytaliam comitatus, sedit annis octo. Cum autem iste dictus Reynaldus vna cum prefato Frederico I. rem publicam romani imperii per multas sollicitudines et infatigatis laboribus viriliter disponeret, accidit quod frater ipsius imperatoris, Conradus palatinus, Lodewicus lantgrauius Thuringie, Fridericus dux

---

43) Arnold I. v. Randerode oder Graf v. Cleve, Erzbischof 1137, entsetzt 1151, † bald darauf 3. April. — 44) Arnold II. Graf v. Wied, Erzbischof noch vor 15. Apr. 1151, † 14. Mai 1156. — 45) In margine ist von derselben Hand nachgetragen: hic fuit filius Adolphi 2di. Comitis de Altena. Friederich II. Graf v. Altena-Berg, Erzbisch. im Juli 1156, † 15. Dez. 1158.

Alemannie, filius olim Conradi III., Coloniensem archiepiscopatum in absentia dicti pontificis hostiliter inuaderent et accepto inter se occulte concilio, vt pro libitu terras ecclesie predari et percurrere possent, montem illum, vbi nunc castrum Rynegge est positum, occupare intendebant. Quod cum industriam prefati dni. Reynaldi Archiepiscopi, tunc cum imperatore in ytalia existenti non lateret, ipse conceptum et factum hujusmodi Philippo majori decano, qui episcopatu eidem Reynaldo successit et fidelibus ecclesie per nuncios significans, montem eundem per ipsos preoccupari mandauit, quod et factum est; et sic dicti principes se preuentos sentientes, bellum ad feriam 2$^{dam}$ in rogationibus, in campo Andernacensium Coloniensibus indixerunt. Ex industria autem prefati Philippi decani et prelatorum coloniensium, tantus equestris et pedestris atque naualis exercitus occurrit, qualem ex tot preclaris nobilibus et fortibus Theutonicis in acie extitisse nostra memoria non recordatur. Nam computati fuerunt 125 mille bellatorum, vnde nullus dictorum principum ausus fuit venire, cum tamen fuissent per Colonienses 12 diebus exspectati. Inter hec autem dnus. Reynaldus archiepiscopus super omnes principes imperatori deuotius et fidelius seruiens in ytalia, hec tam jocunda noua percipiens, impetrata grata ab imperatore licentia et acceptis ab ipso imperatore dono pretiosissimis muneribus, videlicet corporibus beatissimorum trium magorum et duorum sanctorum martyrum Felicis et Naboris, qui in ciuitate Mediolanensi, per ipsum imperatorem tunc temporis capta et destructa, hucusque fuerant recondita, cum dictis reliquiis in vigilia S. Jacobi apostoli anno dni. 1164 cum gaudio et exultatione omnium, gloriose Coloniam intrauit, dictas ibidem vsque hodie reliquias relinquendo. Idem quoque Dnus. Reynaldus transtulit corpora sanctorum Cassii et Florentii et sociorum eorundem martyrum in ecclesiam Bunnensem, inuenti quidem sunt sicco sanguine eorundem euidenti, cum jam 773 sub terra reconditi quieuissent. Imperator siquidem Fridericus supradictus Ytaliam pluries cum exercitibus agressus, prefati dni. Reynaldi archiepiscopi pro-

bitate et industria, omnem sibi Longobardiam, Ytaliam atque Apuliam subjugabat, dicto vero Dno. Reynaldo in vna dictarum expeditionum ytalie vrbem Thusculanam fidelem imperatori ingresso, Romani contractis copiis fere ad 42 milia virorum eundem Dnum. Reynaldum in dicta ciuitate obsidione vallauerunt, ipse autem non plus nisi C et 40 milites secum habens, tam ob reuerentiam sacre diei, scil. pentecostes qui tunc erat et quia cum tanta multitudine, nisi diuino fretus auxilio confligere potuit, se infra muros continuit ipsa die. Interea existente in illis partibus, viro strenuo Christiano archiepo Moguntino, qui continue XI annis in obsequio imperatoris ibidem moram trahens, totum ducatum Spoletanum et multas alias ciuitates atque castella sibi subjugauerat, cujus timor quidem et fama super omnes in circuitu prouincias pululabat, idem archiepus Moguntinus et Philippus imperatoris cancellarius, ipsius Reynaldi in archiepiscopatu successor, cum quingentis vel circiter armatis, per longam et arduam viam fessi, in auxilium dni. Reynaldi venientes, juxta Thusculanam ciuitatem obsessam resederunt, quos statim Romani inuadentes recedere compulerunt; sed dictus Reynaldus spem ponens in domino, a portis cum suis erumpens, romanum exercitum audacter bello inuasit, persecutum quoque fugauit, vbi de Romanis euaderunt passim per agros $9^{mil.}$ et capta 5 milia fuerunt, nullis de parte ipsius archiepi perditis, preda tota cessit seruientibus militibus, tantum gloria triumphi computatum autem fuit preterea per Romanos, quod de 40 milibus vix duo milia redierant. Romani autem hys pressuris ad deditionem coacti, prefato Frederico imperatori debitam de cetero obedientiam prestiterunt certis pactis, jurejurando et scriptis valide roboratis. Quo prefati dni. Reynaldi imperator exhylaratus victoria, eidem dno. Archiepiscopo et ecclesie Coloniensi larga fecit possessionum et priuilegiorum donaria, inter que etiam possessionem Andernacensis opidi, Coloniensi ecclesie est largitus. Obijt autem idem dnus. Reynaldus in Ytalia in vigilia assumptionis beate virginis; vir sapientia et probitate mirabilis, in quo spes maxima imperatoris glorie residebat,

cujus ossa, Coloniam translata, in ecclesia S. Petri cum magna veneratione sunt sepulta.[46])

44°. loco (a. 1168) succedit in pontificatu ecclie Colon. dno. Reynaldo, Philippus major decanus et fidelis imperatoris cancellarius, natione de Heynisberch, vir omni probitate mirabilis, seditque sub dicto Frederico I. et filio ejusdem Henrico VI., quem quoque vnxit in regem, annis 20. Defuncto itaque in Ytalia apud imperatorem dno. Reynaldo, idem dnus. imperator desiderauit affectans, prefatum Philippum ad dignitatem pontificatus Coloniensis ecclesie peruenire. Scripsit idem imperator literas suas mirabiliter fauorabiles ad Hinricum de Alpheym, Hinricum de Volmensten et Gerhardum aduocatum Coloniensem et ad ministeriales et vasallos coloniensis ecclesie, pro eodem Philippo, imperiali cancellario, in coloniensem archiepiscopum promouendo; que quidem litere memorie digne vsque hodie apud nonnullos studiosos in scriptis reseruantur; quibus quidem imperialibus literis et hortatibus ad effectum deductis, idem Philippus, licet absens, in successorem dicti Reynaldi electus, in vigilia assumptionis anni sequentis, coloniam accessit et tandem anno elapso, in vigilia assumptionis, filium ejusdem Frederici I., Hinricum VI. Aquisgrani vnxit in regem. Iste Philippus vir memorie dignus, 40 milia et 700 marcas argenti in emptionem vrbium et prediorum Coloniensis ecclesie exposuit. Idem quoque Philippus intrans Saxoniam cum exercitu trium milium militum electorum, exceptis armigeris equitibus et pedestri exercitu, cujus non constat numerus, Hinricum ducem Saxonie, patrem Ottonis IV. imperatoris, per tres annos continuos impugnans, manu potenti exterminauit, ducatum Westphalie et ducatum Angarie, quos duos ducatus ecclesia Coloniensis vsque in presens possidet, dicto Hinrico duci Saxonie, qui per sententiam imperatoris et principum, propter excessus suos, nomine et dignitate ducis fuerat jam priuatus, armata potentia viriliter auferrendo eidem. Obyt autem dictus Phi-

---

46) Rainald Graf von Dassel, Erzbischof 1. Februar 1159, † 14. Aug. 1164.

lippus archiepiscopus in expeditione Apulie, imperatorem Hinricum VI. comitatus, in ciuitate Neapoli; cujus ossa sunt Colonie delata, apud S. Petrum et honorifice sepulta. Fuerat siquidem, sicut fertur, dictus Philippus vir pulcherimus et fortis corpore et super omnes liberalis. His duobus pontificibus ecclesia Coloniensis tanquam duabus columpnis ferreis est stabilita et firmata.[47]) Iste castrum Ryneke perfecit, factus archiepiscopus, et castellanis muniuit. Item ducatum Angarie qui et Westphalie dicitur, quo dux Henricus leo priuatus fuerat, a Frederico imperatore 5 milibus marcarum et seruitio suo corporali fortissimo et multiplici comparauit, sibi suisque successoribus et pontificali dignitati perpetualiter incorporauit. Voluit autem de consilio hunc ducatum emere pretio tantillo potius, quam in beneficio accipere, propter maiorem facti firmitatem. Hic Philippus construxit de nouo castrum Peremunt super Wiseram, in allodio quod ipse pecunia sua comparauerat et beato Petro donauerat. Item curtem in Susato decenter edificauit. Similiter et curtem in Rekelinchusen, curtem in Huchelinghouen juxta Nussiam, curtem in Brole, curtem in Lechenich, curtim in Rudino, castrum Aspele juxta Rees, hec omnia edificauit. Item emit castra multa scil. Wassenberg, Rideke, Deest, Olebugge, Are, Kempenich, Burgechem, Blankenberch, Wede lantgrauij Suanenborch, Froisberg, Thekeneborh, Dale, Westhene, Haggene, Ytere et alia plura. Inuenitur autem quod in castris et allodiis pro ecclesia circa quinquaginta M. marcarum erogauit, proprietatem autem istorum castrorum tradidit beato Petro, sed dominis terrarum tradidit quedam ex eis jure feodali possidenda; nota plura anno etc. Frederici primi.[48])

45°. loco (a. 1192) sedit in cathedra pontificali ecclesie Colon. sub Hinrico VI. tribus annis Bruno III. major prepositus[49]) exclusa per minas nobilium et impressione

---

47) Das folgende ist von derselben Hand später in margine nachgetragen. — 48) Philipp v. Heinsberg, Erzbischof 1167, † 13. August 1191. – 49) In marg. steht: hic erat de Marka. Bruno III. Graf v. Altena-Berg, Erzbischof 1191, resignirte 1193.

manus layce, canonica electione de Lothario Bunnensi preposito facta; prout in simili habetur de Frederico II. Coloniensi archiepiscopo, cujus frater idem Bruno extitit scil. carnalis. Iste Bruno senex et debilis episcopus renum tenuit cathedre, in habitu monastico vitam finiens, in monasterio dicto Berge.[50])

46°. loco successit in cathedra Coloniensi Adolphus I.[51]) (a. 1193) major prepositus, sedens sub Hinrico VI. Philippo II. et Ottone IV. regibus annis 12. Iste fuit filius fratris Brunonis III. qui etiam post obitum Hinrici VI. regis, electione discordi per principes celebrata, Ottonem IV. Colonie elegit et Aquisgrani vnxit in regem. Cujus electioni quoque interfuit et assensit Theodericus archiepiscopus Treuerensis, principibus et aliis eligentibus Philippum II. fratrem Hinrici VI. supradicti, de qua quidem electione processit decertatio venerabilium exin de electione. Cum autem dicti duo principes ad regnum coèlecti, diutius adinuicem guerrarum turbationibus plurimis decertassent et parte Philippi petente, idem Philippus Coloniensem episcopatum inuadens vndique absque resistentia propalasset, fama dicti Adolphi cepit esse non integra pro eo, quod ipse validam manum Ottoni suo electo non apponeret, cum tamen secundum veritatem ipse potentie dicti Philippi, qui multis principibus et valido milite stipabatur, solus resistere non valeret. Compulsus est ad vltimum, vel sicut aliqui volunt, promissionibus et muneribus allectus Adolfus archiepiscopus cepit fauere parti prefati Philippi et receptis ab ipso jurejurando et obsidibus, eundem Philippum in vigilia epyphanie Dni. similiter vnxit in regem Aquisgrani. Cum tamen prius prefatum Ottonem in regem consecrasset, suborta autem propter hoc graui discordia inter Ottonem regem et Adolfum archiepiscopum supradictos, accusatus quoque per ipsum Ottonem de hac re, dictus Adolphus apud Innocentium

---

50) Altenberg. — 51) In marg.: iste fuit de Altena. Adolf I. Graf v. Altena, Erzbisch. vor 25. Nov. 1193, entsetzt 17. Juni 1205.

papam III. et per eundem dominum papam ad curiam citatus personaliter, sed cum sententiam excommunicationis paruipendens non compareret, dominus papa executionem sententie depositionis quam in ipsum tulit, executioni mandari precepit per Sifridum archiepiscopum Moguntinum et episcopum Cameracensem, qui quidem legati apostolici, presente dicto Ottone rege, sententiam depositionis hujusmodi in Colonia exequentes, eundem dnum. Adolfum realiter a dignitate et officio episcopali deposuerunt.

47°. loco (1205) deposito jam per sententiam domini Innocentij pape III. dno. Adolpho, successit ejus in episcopatu Coloniensi Bruno IV. Bunnensis prepositus, natione de Henbach, qui sub Philippo II. et Ottone IV. regibus sedit annis tribus. Hic dnus. Bruno, post depositionem Adolfi, per dnum. Sifridum archiepiscopum Moguntinum et alios dnos. episcopos de Anglia, in legationis officio per decretum domini Innocentii proprium destinatos, fuit in ipsa ciuitate Coloniensi in archiepiscopum consecratus. Subrogato itaque in locum dicti Adolphi dno. Brunone IV., accedens ad Philippum II. regem supradictum dictus Adolfus depositus, apud Spyram in Conuentu regio, ibidem cum magnatibus regni habito, sue depositionis miserias deplorando ipsi Philippo patefecit, cui dictus Philippus compatiens archiepiscopatum Coloniensem hostiliter ingressus, cuncta depopulans, inter alias multas munitiones captas, cepit opidum Nussiense, quod tempore dicti Adolphi pro sue depositionis solatio assignauit. In hac siquidem armorum expeditione occurrerunt cum exercitu, prefatus Otto suus in regno aduersarius et cum ipso dnus. Bruno IV. in Coloniensem archiepiscopum jam promotus et juxta Wassenberg commisso bello, prefatus Otto et dictus Bruno terga vertentes campum dimittunt, ipse dnus. Bruno archiepiscopus per Philippum regem capitur et per annum tenetur in vinculis, postea per duos cardinales missos cum legatione in Alemanniam, pro pace inter dictos Philippum et Ottonem concilianda, dno. pape Romam restituitur et postmodum non diu Philippo rege per suos interfecto, reuersus ad ecclesiam

Coloniensem, ipse Bruno defunctus est et in ecclesia beati Petri sepelitur.[52])

48°. loco (1208) assumptus ad pontificatum ecclesie Coloniensis Theodericus sanctorum apostolorum prepositus sub Ottone IV. sedit annis 5. Cum itaque dnus. papa Ottonem imperatorem, orta inter ipsos turbatione, excommunicasset et sententiam ipsam per prelatos regni Almanie mandari executioni precepisset, idem Thidericus mandato apostolico non parens, nec dictam sententiam exequi curans, ymmo dicto imperatori in omnibus communicans, bona ecclesiarum, quarum rectores sententie parebant, vndique depredabat, suis eadem consanguineis largiendo, vnde idem Thidericus per Syfridum Moguntinum archiepiscopum, commisso sibi per papam legationis officio, vna cum dicto imperatore excommunicatus publice denunciatur. Fertur autem ipse Thidericus ante promotionem suam deo et beate Marie virgini plurimum fuisse deuotus, postea vero peruersorum concilio adeo deprauatus quod modicum haberet inter personas ecclesiasticas et laycos discrimen, rusticos et monachos eque perturbans et ab hijs et ab illis iniusta thelonea et exactiones per vim extorquens, ipse et castrum Godesberg de vsuris cujusdam judei, per ipsum capti edificauit, vbi sctus Michael archangelus ecclesiam habuit suo nomine consecratam et ibi ob reuerentiam dicti archangeli nullus ante ipsum munitionem ponere persuadebat. Pro hijs siquidem et alijs sue tyrannidis excessibus, tandem idem Thidericus per prefatum dnum. Sifridum Moguntinum, apostolice sedis legatum, sicut ejus antecessor Adolfus, dignitate et officio pontificali fuit priuatus. Quibus tamen vtrique ex redditibus episcopalibus 300 marce pro sustentatione eorundem fuerunt assignate, remissa Coloniensi ecclesie facultate libera, sibi pontificem eligendi.[53])

49°. loco (1217) deposito jam per sententiam domini pape Theoderico Coloniensi archiepiscopo, electus est ad

52) Bruno IV Graf von Sayn, Erzbischof 25. Juli 1205, † 2. Nov. 1208. — 53) Diedrich I. v. Heinsberg, Erzbischof 25. Dez. 1208, entsetzt 27. März 1212; Sedisvacanz bis 1216.

pontificalem cathedram dicte ecclesie, **Engelbertus I.** sedens sub Ottone IV. et Frederico II imperatoribus annis 12. Hic habuit patruos nobiles antecessores suos, Colonienses archiepiscopos Fredericum scilicet et Brunonem III. Adolfus vero, qui dicto Brunoni succederat, patrui ejusdem fuit filius. Pater ipsius, Engelbertus comes de Monte, mater vero filia comitis Gelrie fuit. Erat quoque dictus Engelbertus Coloniensis archiepiscopus aspectu decorus, pulcher corporis, robustus viribus et tante pulchritudinis, vt in clero et populo vir non posset illi pulchrior inueniri. Fredericus autem secundus, in regno jam sublimatus, audita dicti Engelberti archiepiscopi fama et probitate, negotia regni citra alpes sibi commisit et filij sui Henrici eum mentorem constituens, totius regni per Germaniam eum deputauit prouisorem. Ipse igitur dnus Engelbertus congregatis regni principibus, dictum Hinricum imperatoris filium adhuc paruum, Aquisgrani consecrauit in regem Alemannie, quem nutriebat vt filium et sicut dominum honorauit et tanta fuit pax in ejus diebus vt Augusti tempora crederentur. Dictus tamen Hinricus imperatoris filius inter reges non computatur, nam ad regni administrationem non peruenit. Ipse enim jam adolescens, accusatus de rebellione apud patrem, captus per ipsum et in Apuliam ductus, ibidem fuit squalore carceris suffocatus. Cum autem Fredericus comes de Ysenberge dicti dni. Engelberti consanguineus, aduocatia regalis ecclesie Assyndensis tyrannice abuteretur, dictus dnus. Engelbertus, receptis super hoc mandatis dni. Honorii pape et imperatoris Frederici supradicti, dictum comitem monuit vt a sua desistens tyrannide, prefata aduocatia legitime vteretur, quibus monitionibus exacerbatus, ipse comes quadam die, dum dictus archiepiscopus in viam juxta villam Swelmene, sequente die consecraturus ibidem ecclesiam incederet, eundem archiepiscopum nichil tale suspicantem, 28 confossum vulneribus crudelissime interfecit, post quod execrandum facinus, prefatus comes sicut alter Cayn vndique vagus et profugus diffugiens, nusquam potuit esse tutus Castro quidem ejusdem Ysenberch, quod tamen inex-

pugnabile videbatur, solotenus destituto et confracto et postea nunquam reparato, quod et testantur ruine ipsius vsque in presens, in vltionem sanguinis reuerendi pontificis supradicti, deo siquidem taliter disponente, cujus est vindicta et ipse retribuit, de prefato comite interfectore sacrilego taliter actum fuit, quod eodem fere die, anno elapso, quo prefatus archiepiscopus cum luctu omnium Coloniam mortuus est inuectus, dictus comes jam captus cum gaudio multorum per portam ciuitatis oppositam vinculatus est illatus et post triduum sententia justa capitis in ipsum lata, per portam que dicitur s. Seuerini, ad campos eductus, confractis tormentaliter cruribus suis et brachiis et membris ipsius miserabiliter distractis, super rotam tractus et positus in monticulo ibidem est tormentaliter eleuatus. Multi etiam ex ipsius satellitibus in breui morte pessima perierunt et quod dignum relatu duximus adnotandum, omnis ejusdem comitis posteritas, post dicti pii pontificis occisionem defecit in statu et honore et adhuc deficit tota die nec vmquam postea surrexit.[54])

50⁰ loco (ao 1225) successit in regimine pontificatus Coloniensis ecclesie Hinricus I. qui de domo nobilium de Mulenarken trahens originem, sedit sub Frederico Rom. imperatore annis XII. Hic de morte domini Engelberti antecessoris sui contra interfectores, sibi condignam assumens vltionem, primo castrum dicti interfectoris potenter obsedit, cepit et a fundamentis confractum solo coequauit; demum vnum cardinalem sedis apostolice legatum transmittere Coloniam procurauit, pro anathemate reorum celerius exequendo. Tandem comparens coram imperatore apud Nurenberg, in curia solempni ibidem cum principibus regni celebrata, adductis secum et ostensis in publico vestibus dicti dni. Engelberti, in quibus trucidatus fuerat sanguinolentis, interfectores ejusdem banno imperiali subici procurauit. Duos insuper fratres comitis Frederici horrendi sacrilegi, scil. Theodericum Monasteriensis et Engelbertum

---

54) Engelbert I. Graf von Berg, Erzbischof 29. Febr. 1216, ermordet 7. Nov. 1220.

Osnabrugensis ecclesiarum episcopos, tanquam de fautoria fratris suspectos, ab episcopali dignitate et officio deponi procurauit ad vltimum autem prefatum comitem interfectorem, per quendam militem captum apud Leodium, pro duobus milibus marcarum ab ipso milite redimens et Coloniam adducens, rotali supplicio plecti mandauit, prout superius in gestis dicti dni. Engelberti plenius continetur.[55])

51°. loco (ao. 1238) mortuo domino Hinrico I. Colon. ecclesie archiepiscopo, successit ei in pontificatu dnus. Conradus, natione comitum de Hoystaden major prepositus, vir tanto honore dignus, qui Coloniensem ecclesiam amplis possessionibus et predijs nobilibus sublimauit. Hic jurium et libertatum ecclesie pugil et strenuus propugnator, prospera simul et aduersa, secundum varietatem temporum constanter ferens, per Wilhelmum Juliacensem comitem, Coloniensi ecclesie infestissimum illius temporis inuasorem, in conflictu bellico captum, in castro Nydeggen per 9 menses fuit detentus. Porro cum Fredericus II. imperator per Innocentium IV. ab imperiali fuisset dignitate depositus, prefatus dnus Conradus, sedis apostolice in omnibus filius et obediens fidelissimus, ex precepto prefati dni. apostolici, ad excludendam ab imperio prefati imperatoris Frederici posteritatem, sua industria, sagacitate et potentia, tres successiue principes ad regnum elegit, associatis sibi aliis principibus electoribus, prout tam ardui facti oportunitas exigebat. Elegit namque primo Hinricum VII. lantgrauium Hassie cognomento Raspe, filium quondam sancte Elizabet, sine mora ipsum in locum prefati Frederici, aliquam prius depositi subrogando, quod tamen absque difficultate fieri non poterat. Nam commisso prius bello apud Frankenvort cum Conrado, prefati Frederici imperatoris filio, qui regnum jam inuaserat et eodem in conflictu victo et fugato, de prefato electionem fieri procurauit; quo scilicet Hinrico non multo post tempore defuncto, Wilhelmum comitem Hollandie in regno instituit, et illo post tres annos a Frisonibus in bello

55) Heinrich I. v. Molenarch, Erzbischof 15. November 1225, † 26. März 1238.

interfecto, Ricardum comitem Cornubie, fratrem regis Anglorum, Germanis prefecit in regem. Sed tres electi supradicti propter temporis breuitatem nil dignum memorie fecisse leguntur et benedictione imperiali caruerunt. Iste dnus. Conradus, vir in omnibus prouidens et strenuus et pro domo dei contra aduersarios ecclesie ascendens ex aduerso et murum inuictum se opponens, pro juribus et libertatibus cleri et ecclesie Coloniensis, cum ciuitate Coloniensi, suis superioribus semper emula et rebellis, multas suo tempore habuit guerras, disceptans sorte varia continue cum eisdem. Ad vltimum vero sua strenuitate et prudentia et justo dei judicio disponente contra ipsam ciuitatem vatispernentem, totam ipsam ciuitatem et ipsius regimen in suam redegit omnino potestatem; multos siquidem ex scabinis ciuitatis, propter mala judicia et peruersam justitiam, alios exilio et banno perpetuo condempnauit, alios captivos extra ciuitatem ad fortalitia et castra ecclesie deducens vsque ad suum obitum vinculis et carceribus mancipauit. Ipse etiam comitatum de Hoystaden cum omni suo jure et attinentijs, nec non castro nobilissimo Are cum suo districtu, ad jus suum ex paterna successione deuoluta, Coloniensi ecclesie deuotus obtulit et castrum Valkenbergh nec non castrum Aldenwede cum comitatu, emptum suis pecunijs, dicte Coloniensi vsque hodie dereliquit, fundamenta siquidem noue structure ecclesie sancti Petri, cujus quidem simile opus in multis regnis non inuenitur, ipse incepit. Cum autem in regimine ecclesie multis laboribus et sollicitudine sedisset annis 33 cum dimidio, defunctus est in Colonia, ipsa Coloniensi ecclesia in summa pace derelicta.[56])

52°. loco (ao. 1261) successit eidem Conrado Engelbertus II. de domo nobili dominorum de Valkenberg lineam ducens et major prepositus. Isté Radulphum romanorum regem post longam vacationem regni electum a principibus, Aquisgrani vnxit in regem. Iste fuit vir bonus, sed in suis negotiis minime prosperatus; cum ad reprimen-

---

56) Conrad I. Graf von Hochstaden Erzbischof 1238, † 28. September 1261.

das ecclesie sue injurias, copiosos multociens produceret exercitus, sepe tamen infirmior videbatur. Nam a Wilhelmo comite Juliacensi, qui et antecessorem suum dnum. Conradum in bello captum, obtinuerat in loco dicto silua sancte Marie intra Tulpetum et Lechenich, instructa acie cum multis suis capitur et in castro Nideggen tribus annis et 6 mensibus in custodia detinetur. Ipse et non multo post tempore, in aula sua episcopali in Colonia cum fidelibus suis jura decernens, captus per ciues, in quadam domo cujusdam ciuis custodie mancipatur, propter quam dicti pontificis injuriam, ipsa ciuitas Coloniensis 6 annis ecclesiastico subjacuit interdicto. Propter hanc autem ipsius archiepiscopi captivationem consanguinei ipsius exacerbati, frater scil. ejus dnus. de Valkenburch, duxque Lymburgensis, comes de Clyuis et nobil. de Heynisberg forti armatorum manu contracta, ciuitatem Coloniensem per quandam domum, muro ciuitatis adherentem, amplo additu patefacto, intempeste noctis silentio subintrarunt. Sed ciues factum persentientes conclamantes ad arma, dictos hostes vi armata repulerunt; vbi prefatus dominus de Valkenborch equo insidens preuia congressione occiditur, dux Lymburgensis capitur; multis occisis, aliis fuga lapsis. Que quidem clades prefatis nobilibus accidit ao. dni. 1268. Postquam vero prefatus Engelbertus prefuit ecclesie Coloniensi sub tempore vacantis imperij et postea sub Rudolpho romanorum rege annis 14 defunctus est in pace, sepultus in ecclesia Bunnensi; nam ciuitas Coloniensis tunc temporis propter injurias eidem presuli illatas, stabat sub ecclesiastico interdicto.[57])

53°. loco (ao. 1275) ordinatur archiepiscopus Coloniensis Syfridus de domo nobilium de Westerburg, prepositus ecclesie Moguntine, sedens sub regno Radulphi et Adolphi romanorum regum annis 23 et mensibus 4, contra quem statim post suam promotionem multi proceres et nobiles, tam episcopi quam layci vehementer insurgentes, dictum episcopum igne et ferro pariter inuadebant, quibus

---

57) Engelbert II. Graf von Luxenburg-Falkenburg, Erzbischof 8. Octob. 1261, † 17. Nov. 1274.

idem archiepiscopus a prima juuentute armis exercitatus et asperitates algoris et inedie ac vigiliarum perpatere doctus, nunc his nunc illis vicem viriliter impendebat. Denique ipse Godefridum comitem de Arnsberg et filium ejus in gratiam suam venire compulit etc. presidio ipsorum quod Neyhem dicitur, per ipsum prius capto et destructo. Idem quoque Archiepiscopus inimicitias aduersus Wilhelmum comitem Juliacensem sicut antecessores sui, pro juribus ecclesie defensandis gerens, postquam dictus comes cum filiis suis cum multis nobilibus atque militibus in ciuitate Aquensi, tunc temporis ipsi archiepiscopo confederata, fuerat interfectus, ex casu inimicorum sumpta audacia contra Juliacenses statim hostiliter inuadens et cuncta deuastans, opidum Juliacense obsidione cinxit ac superstites de cognatione dicti comitis occisi quotquod colligere poterant, in dicto opido jam recepti, portis erumpentes archiepiscopum bello petunt, sed habita victoria ipse archiepiscopus munitionem cepit, castrum forte infra muros funditus deposuit, cuncta pro libitu ibidem disponens, vbi et ciues Colonienses pro archiepiscopo dicuntur fortiter conflixisse. Eodem siquidem tempore ipse archiepiscopus optinuit opidum Duren et omnia fortalitia et loca comitatus Juliacensis, paucis exceptis, vtpote Niddegen et Heubach, quo quidem processu castrum de Bedbur et in confiniis 24 circiter fortalitia communiuit, alia saltem subjugauit. Tunc etiam tempore opidum Tulpetum foris communiuit et ibidem in allodio beati Petri castrum forte edificauit, sed postea dux Lymburgensis cum alijs nobilibus de consanguinitate comitis defuncti, contra archiepiscopatum inuadens, dictum Tulpetum opidum obsedit, sed incassum ab ipso recessit. Tandem mediantibus amicis, restitutis comitatui munitionibus captis, pax inter partes firma interuenit. Porro cum Radolphus romanorum rex conuocata solempni curia principum apud Herbipolim, cum domino Martino papa IV. concordasset, quod ab omnibus terris arabilibus totius regni Germanie, certam similiter vellet exigere pecunie quantitatem, prefatus dnus. Sifridus constans vir animi, huic inaudite exactioni mira con-

stantia contradixit et sic ejusdem archiepiscopi probitate, res ipsa mansit incompleta et patria fuit ab hac excogitata exactione vsque hodie liberata. Eadem siquidem tempestate dictus archiepiscopus, in cunctis pro ecclesia semper strenue et fortiter agens, obsedit castrum Cerpene 8 septimanis et obtentum incendio deuastauit, quia ab heredibus sibi comparauerat dictum castrum et hoc quidem seminarium fuit odij et discordie longi temporis, inter dictos archiepiscopum atque ducem, qui propter hoc et alia guerrarum intestina, ad cruenta bellorum discrimina postmodum conuenerunt. Ipse quoque archiepiscopus duabus vicibus ducens exercitum contra Adolphum comitem de monte, tandem cum ipso veniens ad concordiam, compulit ipsum comitem deponere duas turres quas fortiter muniuerat; videlicet apud Monheym et Mulenhem irredificabiles vsque in presens ad perpetuam rei memoriam permansuras. Hijs sane temporibus lamentabilis discordia inter Johannem ducem Brabantie et Reynoldum comitem Gelrie est suborta, propter ducatum Lymburgensem; in quo dictus comes, ratione vxoris sue, sibi vsufructum vendicabat duce Lymburgensi absque liberis tunc defuncto. Sed dux Brabantie jura dicti ducatus, sibi ab Adolpho comite de Monte pecuniis comparauit et extunc dictus dux prefatum comitem de Monte, Walramum comitem Juliacensem cum fratre suo Gerardo, domino de Castere, Euerhardum comitem de Marka, Hinricum de Windeke nobilem fratrem comitis de Monte et ciues Colonienses, cum multis nobilibus sibi confederauit. Ex aduerso autem comes Gelrie dominum Syfridum Coloniensem archiepiscopum, Hinricum comitem de Lutzenburch et Walramum fratrem ipsius ac Walramum nobilem de Valkenburch, nobilem quoque de Lymburch et Hinricum nobilem de Westerburch, fratrem archiepiscopi, cum multis alijs nobilibus sibi in auxilium acquisiuit et dum varios bellorum euentus experirent hinc inde, nunc ille nunc is triumphantibus, tandem dictus dux Brabantie cum suis federatis archiepiscopatum Coloniensem potenter ingressus, cuncta vastando, castrum archiepiscopi dictum Worinch ipso die beati Bonifacij anno dni. 1288

cruento commisso prelio, dux Brabantie cum suis victoria est potitus; mortuo in ipso bello dictis comite de Lutzenburg et fratre suo, cujus quidem comitis fuit filius Hinricus imperator VIII. Mortuo etiam ibidem Hinrico de Westerburch egregio milite et alijs multis, plus quam mille viris notabilibus interfectis, comes Gelrie per ducem Brabantie captiuus abducitur. Syfridus quoque Archiepiscopus per comitem de Monte cum multis alijs fuit captus; ex quo lamentabili casu Coloniensis ecclesia multum extitit humiliata, nam in hoc turbine comes Juliacensis, castrum Nil petens munitissimum cepit et destruxit et comes de Marka in ducatu Westphalie castra et munitiones Westphalie cepit et deuastauit. Post multas tandem aduersitates et fortune contrarie pressuras, a captiuitate et carcere Comitis de Monte, post annos per pacta et conuentiones ad propria restitutus. Idem dominus Syfridus quasi miles et pugil ecclesie, prostratus sed inuictus, a conceptis et in animo radicatis ecclesie vtilitatibus non desistens, castrum de Brole in presidium ecclesie Coloniensis, aduersus superbiam ciuitatis Coloniensis confrenandam, sumptu maximo et propter ipsorum Coloniensium potentiam, in proximo vicinorum magno militaris potentie apparatu construxit et fortissime communiuit. Consummato tandem boni certaminis sui cursu, vocatus a domino, quasi fidelis athleta et seruus intraturus in gaudium domini sui, moritur in pace et in ecclesia Bunnensi honorifice sepelitur; nam tunc Coloniensis ciuitas propter ipsorum aduersitates, quas Colonienses ecclesie ingerebant, supposita fuit ecclesiastico interdicto.[58])

54°. loco successit Wicboldus natione nobilium de Holte, major decanus, sedens sub Adolpho et Alberto regibus annis septem. Hic plus practica nobilium quam electione canonica ascendens, apud Nussiam fertur electus, vir tamen tam diuina quam humana scientia sufficienter eruditus. Ipse siquidem prefatum Albertum Aquisgrani vnxit in regem et postea solempni curia principum et nobilium, per

---

58) Siegfried v. Westerburg, Erzbischof vor 24. April 1275, † 7. April 1297.

eundem regem apud Nurenberg conuocata, vxor ipsius regis per dictum dominum Wicboldum fuit in regínam solempniter coronata. Idem autem archiepiscopus vtpote vir senex et grandeuus, plus concilijs aptis quam armis exercitatus, prouidentia ecclesiam in pace regere satagebat; vnde in suo principio Colonienses ab interdicto, quod diu sustinuerant, suo interuentu absoluuntur. Dominos et nobiles sibi vicinos, vndique donatiuis et amicitijs placauit, sed quanto plus donabat, tanto magis sibi et ecclesie sensit infestos. Quod dum aduertens prudenter intelligeret, ad resistendum potenter animum conuertens contra comitem de Marka, infestissimum ecclesie Coloniensis inimicum, ad debellandum eundem in Susato cum armatorum militia se recepit, quo comperto, comes animosus exercitum congregans copiosum, archiepiscopum ad bellum sepius prouocauit, archiepiscopo vero cauto, vtpote in rebus periculosis et omnino casibus fortune expositis, locum pugne non dante, sed caute dissimulante, dum comes propter expensarum penuriam exercitum quod jam sepius adunauerat, diutius tenere non posset et auxiliarii ab ipso ad propria defluxissent, archiepiscopus jam tempus aptum nactus, terram comitis igne et ferro vndique inuasit, cuncta populans atque vastans et sicut creditur, si morte preuentus non fuisset, ipsum comitem ad deditionem vltimam compulisset. Tandem in dicta expeditione languore correptus et Susatum diuertens, dum infirmitate decumbens sacram communionem jam sepius accepisset et a suo confessore sibi diceretur, non opus esse sacram communionem sepius accipere, dixit verbum memorie dignum, anima inquit mea hoc affectat sacramentum, quia est bonum viaticum. Et sicut placuit deo, ex hac luce subtractus, sepultus est in ecclesia sancti Patrocli in Susato, in pace altissimi requiescit. Ante ejus obitum Albertus supradictus romanorum rex, ad instigationem et inductionem Coloniensium ciuium, ecclesie sue intermissione semper emulorum, cum exercitu copioso se contulit ad terras ecclesie Coloniensis, consedens in villa de Surde super alueum Reni per longum tempus, in qua expeditione, quam-

uis rex causam offensionis vel injuriarum aduersus archiepiscopum expresse non haberet, occasione tamen sumpta, terras ecclesie per continuos exercitus et latrunculos plurimum molestauit, ad vltimum vero innocentiam archiepiscopi sentitus, de illatis sibi molestiis penitenti animo egre ferens, sub certis conditionibus in amicitiam ipsum archiepiscopum recipiens et gratiam absque vlteriori et vocabili lesione ipsius et ecclesie ad propria se contulit.[59])

55°. loco votis eligentium, in diuisa diuisis, post obitum domini Wicboldi ad regimen Coloniensis ecclesie tres in discordia sunt electi, quibusdam eligentibus Hinricum de Wyrneburch majorem preposítum, aliis Reynardum de Westerburch prepositum Bunnensem, aliis vero Wilhelmum, Wilhelmi quondam comitis Juliacensis filium, canonicum coloniensem et ecclesie s. Seruatii in Trajecto prepositum. Sed idem Wilhelmus post non longe in bello Flandrensium contra règem Francie susceptum, in quo ipse capitaneum et patricium Flandrensium agens fortiter se gerebat, extitit interfectus. Sua tamen electio ante ipsius obitum, per dominum Bonifacium papam VIII. confirmata fuerat, sed executio morte ejus preuenta. Duo vero superstites coèlecti, ad romanam curiam accedentes pro confirmatione sua, sorte varia contendebant; tandem electio domini Hinrici confirmatur, postquam in curia steterat ferme tribus annis, seditque idem Hinricus sub Alberto, Hinrico VII. et Lodewico IV. imperatoribus annis 26. Quanta autem ipse dominus Hinricus in hac sue electionis presentatione in Roma stans, omnia expenderit, donauerit et ad sumptus exposuerit, exactiones per ipsum postea facte lucide manifestant. Ipse vero Hinricum VII. Aquisgrani vnxit in regem, concordi principum electione assumptum. Quo defuncto et per quendam ducem, nepotem suum, proditiose interfecto, facta electione discordi, quibusdam eligentibus dominum Ludowicum ducem Bauarie, aliis, quibus ipse assensit, eligentibus Fredericum ducem Anstrie, ipse dictum Fredericum

59) Wigbold Edelherr von Holte, Erzbischof im Mai 1297, † 26. März 1304.

suum electum apud Bunnam in regem coronauit, altero vero Ludowico per archiepiscopum Treuerensem Aquisgrani similiter coronato. Hic dominus Hinricus vir grandeuus et ad etatem sue electionis tempore, annorum non minus quam 60 jam deductus, viribus tamen et animo indeficiens, cum inimicitias ecclesie presertim cum Gerardo comite Juliacensi et cum comite de Marka, necnon cum aliis terre Westphalie dominis, per omnia quasi sui regiminis tempora, per varia bellorum et guerrarum discrimina, pro juribus ecclesie frequenter et fortissime documentauit. Qua tempestate Coloniensis statui ecclesie suprascripto aduersantes, oportunitate captata, propter potentiam Lodewici IV. ejusdem domini Hinrici aduersarii, manifeste inimici, multis sibi principibus confederatis, videlicet dno. Johanne rege Bohemie, Wilhelmo comite Hannouie, Johanne de Hannouia ejusdem nepote, Gerardo Juliacensi comite, Adolpho comite de Monte et comite de Marka, comite Seynensi, cum pluribus aliis nobilibus et potentibus, prefatum archiepiscopum multis guerrarum dispendiis lacessentes, tandem dictis adunatis sibi auxiliariis, castrum ecclesie Brule 14 ebdomadas obsederunt, sed propter fortissime munitionis et archiepiscopi virilem resistentiam, pactis pacis interuenientibus, ab obsidione, frustrata ipsorum intentione maliuola auxiliante domino, vacui recesserunt. In hijs siquidem guerrarum et aduersitatum crebris turbationibus, ipse archiepiscopus semper constanti animo viriliter agens, quamuis propter mala hujusmodi, pecuniis et necessariis sumptibus vacuus et exhaustus, nobilem comitatum et castrum Hylkerode ad vsum et firmamentum ecclesie magnis pecuniis comparauit, sed pecuniam hujusmodi ecclesie colonienses collegiate et abbatiales et clerus coloniensis, de suo totaliter persoluerunt, nam maxima pars possessionum dictarum ecclesiarum et cleri, in districtu et proprietate dicti comitatus et territorii situantur. Post recessum inimicorum ecclesie, ab obsidione castri de Brole, de qua superius dicitur, ipsi a concepta contra ecclesiam malitia non desistentes, castrum Volmensteyn in ducatu Westphalie, longa mora temporis tenentes obsessum, ad

vltimum ceperunt et funditus destruxerunt. Idem porro Hinricus archiepiscopus, post multas fatigationes emulorum ecclesie fortiter exagitatus, sed semper stans inperterritus et pro viribus vices rependens, ad vltimum plenus dierum et senio fatigatus, defunctus in pace in die sancto epiphanie domini, sub anno dni. 1332 in ecclesia Bunnensi, in capella noua quam adhuc viuens a latere ecclesie ipse construxerat, honorifice est sepultus.[60])

56°. loco archiepiscopatum Coloniensem est adeptus Walramus Leodiensis prepositus, frater comitis Juliacensis, 28vum et paulo plus etatis sue agens annum. Hunc siquidem 21 die post obitum predecessoris sui, Johannes papa XXII. quamuis absentem, in Coloniensem archiepiscopum ordinauit. Qui licet in mundanis prout tanti principatus sollicitudo requirit, non foret admodum expertus, nam tota sue juuentutis tempora in studiis solempnibus, videlicet Parisiis et Aureliani expendit, comendabilis tamen scientie juris canonici tytulo, in qua facultate licentiatus extitit et in ipsis studiis laudabiliter ejusdem conuersatio, tante sue promotionis in maxima parte causa fuit. In principio ergo sui regiminis, cunctis aduersariis ecclesie, sue parentele potentiam pertimentibus, stetit in regimine ecclesie in summa pace per 12 circiter annos. Ipse quidem sub tante pacis amenitate, tam clerus quam populus, post preteriti temporis longas guerrarum fatigationes, tranquilla temporum felicitate gaudens, opulentissime respirauit. Tandem, quia inuida temporum fata, res in eodem statu persistere diu non sinunt, surgentibus quidem extunc ecclesie multis vndique sibi guerris, tempora conturbantur. Nam plurimi potentes ecclesie contermini comites et barones, valida inter se facta conspiratione, ceperunt terminos ecclesie inimicitiis, incendiis et rapinis fortiter perturbare. Quo quidem turbine nobile opidum ecclesie Mendene in ducatu Westphalie situm, ab olim, ante longa tempora, per inimicos ecclesie demolitum funditus et euersum, sed per ipsum dominum Wal-

---

60) Heinrich II. Graf von Virneburg, Erzbischof im Mai 1304, † 5. Jan. 1332.

ramum tunc de nouo, manu potenti et bellico apparatu reparatum et fortissime communitum, per comites de Marka et Arnsberg, nocturno insultu et pendentibus treugis, insperate iterum captum fuit, incensum et destructum; quod ipse tamen archiepiscopus postmodum denuo reparauit et posito in eodem fortalitio castri, optimum communiuit; propter quod guerrarum materia inter ipsum archiepiscopum et aduersarios fortius succrescente, dum ipse archiepiscopus multam gentem armatorum, pro tuendis finibus et locis ecclesie, ad partes Westphalie sub magnis stipendiis transmisisset, quodam die, conflictu cum inimicis ecclesie campestri bello habito, exercitus archiepiscopi victus cecidit et nonnullis interfectis, 300 vel circiter, de gentibus ecclesie sunt capti. Sed ipse archiepiscopus propter hos casus aduersos, defensioni ecclesie non obmittens, resumptis cito viribus et validissimum congregans equestrem pariter et pedestrem exercitum, contra comitis de Marka, qui conspirationis et inimicitiarum hujusmodi inter alios principalior habebatur, invasurus contra fines ipsius constitutus applicuit. Mediante vero nobile comite Hollandie, intervenientibus pactis pacis, que vtinam bene fuissent seruata, ipsa fuit expeditio intermissa.

Interea Lodowico IV. imperatore, per ecclesiam jam deposito, dictus dominus Walramus archiepiscopus, aliis electoribus associatis sibi principibus, ad instantiam Clementis pape VI. in villa dicta Reyns super Renum posita, que quidem villa est de territorio Coloniensis ecclesie, viuente adhuc Lodowico imperatore et gubernacula imperii forti pedo tenente, Karolum principem Morauie regis Bohemie filium, qui dictus est Karolus IV. in romanorum regem elegerunt, impendens eidem coronam et vnctionem regiam in Bunna, quia ciuitas Aquensis, prefato Lodowico firmiter adherebat, propter quod predictus Lodowicus prefatum archiepiscopum manifestum sibi extunc reputans inimicum, multas sibi aduersitates vndique procurabat; vnde aduersitatibus et guerris hujusmodi continuis lacessitus archiepiscopus et expensis grauatus, per fratrem quoque comitem

Juliacensem et ceteros de sua parentela consanguineos, qui prefato Lodowico et ecclesie aduersariis plus quam archiepiscopo erant fauorabiles, modo derelictus et animo destitutus, cepit per aliqua tempora in regno Francie cum paucis familiaribus prætentarum expensarum gratia commorari, committens summam rerum ecclesie quibusdam extraneis et etiam laicis, omnibus quidem castris et possessionibus ecclesie in creditorum manibus pro maximis debitis obligatis, vbi dum peregrinando circumiret, quod tempore diuertens Parisiis, ibidem febre correptus, in vigilia assumptionis beate Marie sub anno domini 1349 diem clausit extremum, pontificatus sui 17$^{mo}$, corpus autem ipsius translatum Coloniam, in ecclesia sancti Petri in capella sanctorum angelorum a dextris chori ecclesie fuit honorifice tumulatum. Fuit autem ipse Walramus multum liberalis, humilem se omnibus exhibens et modestum, mansuetum ad omnes, nullum ad vindictam expetens nec reputans inimicum, pius in pauperes, benignus in ecclesias et clerum. In principiis siquidem sui regiminis castra et fortalitia ecclesie, propter preteritarum guerrarum pressuras, in diuersis ecclesie locis reperiens aliqua ruinosa et collapsa, alia confracta et nonnulla initiata sed nondum completa, magnificis structuris decentissime communiuit et sicut fidelis architecta edificare non cessans et carni atque sanguini non deferens, nobile castrum Lechnich quod a fundamentis, fratre quidem suo comite Juliacensi multum renitente, in finibus comitatus Juliacensis ad munimentum ecclesie instituit, ex structurarum suarum pulcritudine, prout et validitate commendabilem, sui nominis memoriam post se relinquens. Idem dominus Walramus primus instituit et fundauit congregationem fratrum carthusiensium infra muros ciuitatis Coloniensis et non modicas possessiones in principio sui regiminis, ecclesie magnis pecuniis acquisiuit, videlicet opidum Reymbach cum castro.[61]) Item castrum Oyde cum quibusdam bonis in Hunfe. Item

---

61) In margine steht von derselben Hand: Turrim etiam pulcherimam a fundamentis edificauit in Brenlone castro et fundamentum alterius turris ibidem edificande et erigende posuit.

castrum Popelstorp, medietatem insuper castri de Gensberge et medietatem castri de N o r d e r n a, castrum quoque Ziltank multis temporibus ab ecclesia alienatum, similiter ad ecclesiam non parua pecunia comparauit. Fuisset autem de multis laudabiliter commendandus, nisi sua quanquam concilia personis leuibus credidisset. Sedit siquidem idem Walramus sub imperio Lodowici IV. et regno Karuli IV. annis 16, mensibus 6, diebus decem et novem. [62])

57°. archiepiscopus in ordine ecclesiam Coloniensem rexit W i l h e l m u s d e G e n e p e, prepositus Sosatiensis, per Clementem papam VI. post vacationem ecclesie 4 mensium, tunc presens in romana curia, in Coloniensem archiepiscopum ordinatus. Hic vero non multum prouecte etatis, precipua tamen mundanarum rerum experientia pollebat, fuit namque toto predecessoris tempore consiliarius, habens negotia et statum ecclesie valde nota. Dictus ergo Wilhelmus statim post suam promotionem, cepit sicut fidelis dispensator et prudens, manus ad aratrum mittere et retro non respiciens, Coloniensem ecclesiam sibi commissam, licet tunc plurimis debitis pregrauatam, cum summa prouidentia gubernare, nec a crediti sibi talenti multiplicatione defecit, donec vniuersa ecclesie debita, quamuis interim de sui status honorificentia parum diminueret, absque dampnis et fenore persoluit, terras quoque et castra et possessiones ecclesie obligatas, infra paucos annos ad integritatem ecclesie mirabili industria reuocauit; licet vero antecessor suus Walramus in muniendis et edificandis ecclesie locis et fortalitiis multum fuerit commendandus, hunc tamen dominus Wilhelmus in hoc studio sibi non inpar, quin ymmo excellentior habebatur. Fuit itaque corpore pulcherimus, in conuersatione tractabilis, in negotiis expeditus, eloquentia facundus, ingenio et prouidentia perspicuus, in status magnificentia super multos suos antecessores, quorum tunc vigebat memoria, tam in sumptu cottidiano expensarum, in hospitalitate et exhibitione epularum, plurimum gloriosus, in gestu,

---

62) Walram Graf von Jülich, Erzbischof 27. Januar 1332, † 14. Aug. 1349.

habitu et incessu ac grauitate morum, multum venerandus; vnde in curia imperatoris, a quo propter conciliatiuam suam industriam frequentius vocabatur et apud regem Francie, cujus familiarem habuit notitiam et vbicunque principes et prelati conuenerant, honorabatur vt pater et velut dominus in reputatione non modica tractabatur. Paucas siquidem suo tempore notabiles habuit gwerras, quamuis leuibus sepe stimularetur aduersitatibus, prout in rebus fortunatis non est rarum; nam prudenter attendens, quod dubii solent esse bellorum euentus et sumptuum quos requirunt, non est terminus neque finis, ipse incitamenta guerrarum que aduersus ecclesiam surrexerunt, multa patientia nunc dissimulando, nunc vexationes donatiuis redimendo, cautius deuitabat; memorans dictum sapientis, melius esse accomodare marsupiis dolores, quam curis continuis anxiari. Adhuc terrebat aduersarios et emulos ecclesie, fama diuitiarum ipsius et rerum necessariarum habundantia, quibus cuiuis, sibi continuos petentes, in possessione presertim vini et frumenti et ceterorum victualium, continue precellebat. Sed tandem vi tam celebre nomen, inexcogitata ipsum detinens cupiditas obfuscabat; siquidem cum ipse theoloneis et exactionibus exquisitis in clerum et populum, in subditos et extraneos abuteretur absque modo, vniuersorum contra se odium prouocabat, propter quod et quia subditos magis seruili quam ciuili dominatione premebat, multas circa finem pertulit aduersitates; adeo namque ad vltimum cepit erga ipsum suorum vacillare fides, quod communitates et populi, bonorum, villarum et locorum ecclesie, facientes inter se conspirationes, jugum sue . . . . . dominationis rebellione publica excusserunt, debitam sibi et consuetam obedientiam subtrahentes. Qua quidem tempestate populus ville Andernacensis manifeste contra ipsum insurgens, castrum archiepiscopale ipsius opidi, tumultuoso concitato insultu ceperunt et pontem de eodem castro ad exteriora campi porrectum, in ejusdem archiepiscopi contumeliam confregerunt. Porro in hujus sui status fluctuatione positus, intergerens squalide morbum podagre, quo diu laborauerat et accedente febre, cujuscun-

que vigiliis et laboribus, quibus propter zelum ecclesie continue insudabat, viribus exhaustis ao. dni. 1362 die 5 mensis Septembris, in Colonia in pace est defunctus. In lecto autem egritudinis adhuc viuens notabiles pecuniarum summas distribuit majori et ceteris collegiatis ecclesiis coloniensibus, seruitoribus et amicis, ipse etiam de prouisione futura ecclesie, sicut in vita sic in morte sollicitus, vtiliorem quam sibi videbatur de capitulo coloniensi prepositum, seu majorem quam in ipso fuit, sibi futurum successorem designauit, tribuens eidem preposito ad supplementum expensarum vt pro sua promotione ad Coloniensem ecclesiam, apud sedem apostolicam laboraret, in parata pecunia 5 mill. florenorum. Reliquit ecclesiam absque debitis locupletem et singula castra ac fortalitia ecclesie, ita vt eorum promptuaria eructarent ex hoc in illud, vino, frumento et victualibus habundatissime communita. Qualiter vero tanta rerum copia quam pro futuro statu ecclesie idem archiepiscopus thesaurizauerat, nesciens cui eadem congregasset, post ipsius obitum fuerint dissipata, longa sequens ecclesie vacatio et diu sub incerto vacillans ejusdem prouisio manifestat. Sedit itaque dictus dominus Wilhelmus annis 12, mensibus 9 et diebus 15, sepultus in ecclesia s. Petri infra chorum ecclesie in excelsa tumba, quam adhuc viuens fieri sibi faciebat, de supleto albo et nigro marmore artificiose fabricata, fecerat quoque consimilem tumbam ejusdem operis fieri, super sepulturam domini Walrami predecessoris sui non minus pretiosam.[63])

Post obitum igitur dni. Wilhelmi vacante ecclesia Coloniensi fere per 10 menses et legitimo carente administratore, incepit ipsa sub aduersitate temporum fortiter laborare; nam paucis post diebus, capitulum ad electionem procedens, elegit nobilem virum Johannem de Werneburg majorem decanum ad electionem eandem ambitione valida aspirantem, quem tumultuosa laycorum potius acclamatione quam canonica seruata moderatione, in sede episcopali solempniter

[63]) Wilhelm v. Gennep, Erzbischof 1 Nov. 1349, † 15. September 1362.

locauerunt, vno duntaxat canonicorum electioni ejusdem se publice opponente.[64]) Negotio ergo electionis huiusmodi in romana curia ventilato, dum electus pro confirmatione sua, ad ipsam Romam more presolito accessisset, electio sua prefato aduersario in ipsa romana curia presente et eidem fortiter resistente, finaliter cassata extitit et repulsa. Interim autem prefatus decanus pro electo Coloniensi se gerens et statum plus debito pomposum sibi assumens, temporalia bona per prefatum dominum Wilhelmum copiose relicta, necnon et de mensa archiepiscopali vocationis tempore obuenientia, pro libito expendere et ecclesiam nouis debitis cepit obligare. Hic in numero pontificum non ponitur, quia caruit episcopali confirmatione.

58°. in ordine pontificum rexit Coloniensem ecclesiam Adolphus 2dus filius Engelberti comitis de Marka prius episcopus Monasteriensis, quem Vrbanus papa V. statim cassata electione decani supradicti, transtulit de Monasteriensi ecclesia ad Coloniensem, plurimum insperate, quippe nec ipso vel aliquo pro eo ad huiusmodi translationem minime laborante, nimium inconsulte. Fuit enim idem Adolphus juuenis etate, grauitate morum, ad tantam dignitatem necessaria, nulla pollens. Existens enim episcopus monasteriensis, ipsam ecclesiam per 5 annos tenuerat et ad statum ordinum non promotus vixit. Translatus igitur ad ecclesiam Coloniensem, inueniens bona ecclesie per supradictum quondam Wilhelmum archiepiscopum relicta, per prefatum decanum electum, in magna parte vacationis tempore dissipata et aliqua castra in manibus consanguineorum eiusdem decani forent detenta, compulsus est eisdem magnas pecunias persoluere pro restitutione eorundem. Accessit insuper tunc ecclesie aliud malum non minus dampnosum; nam prefatus papa Vrbanus, qui nouo quodam auaritie commoto vniuersa bona prefati quondam Wilhelmi archiepiscopi sedi apostolice reseruauerat, statim post dicti Adolphi translationem misit

64) Johann Graf v. Virneburg gewählt im Sept. 1363, kam nie zum Besitze des erzbischöfln. Stuhls und wird daher mit Unrecht von Mooyer a. O. S. 29 in der Reihe der cölnischen Erzbischöfe aufgeführt.

Coloniam quendam nuncium apostolicum, dictorum bonorum ineptissimum exactorem, qui omnia et singula, tam vilia quam pretiosa in bonis ecclesie, inmetita victualia in castris, pro conseruatione eorundem reposita, vtensilia et omnem supellectilem, vasa aurea et argentea, jocalia quecunque siue ad prophanos vsus siue ad ornamenta ecclesie et pontificale ministerium deputata, in vnum congregans studiose, pro camera sedis apostolice ad romanam curiam asportauit, ipsam Coloniensem ecclesiam cum maximo omnium scandalo, inusitate nimium spoliando. Preterea dictus Adolphus, de cuius indole meliora sperabantur, contra spem agens et ad ea que suis conueniebant exitibus, animum mox conuertens, nam in clero, sicut post in patulo claruit, remanere non curabat, cepit et ipse bona ecclesie licentissime dissipare, castra et possessiones ecclesie distrahere, alia conditionibus obligando, alia in laycorum beneficia dispergendo et maiora prioribus debitis cummulando. Ad vltimum vero, cum ecclesiam Coloniensem cum tanto ipsius discrimine per 10 menses cum dimidio administrasset, aspirans ad statum laycalem et sententiam metuens depositionis, ipsam ecclesiam de necessitate faciens virtutem, in manus pape resignauit, anno dni. 1364 die 15 mensis aprilis, asportans secum pecunias et pretiosa quecunque, que de bonis ecclesie principalioribus sibi poterant superesse. Verum an cessio vel resignatio ipsius Adolphi pura et simplex fuerit, an inter ipsum et successorem pacta aliqua interuenerint, suspicione non carebat. Constat namque, quod ipse post cessionem suam sibi retinuit per tota tempora successoris, magnam partem reddituum ecclesie atque bonorum, videlicet castrum et opidum Berke cum theoloneo et toto districtu, quod suspicionis opinionem vehementer adaugebat, quod ipse post obitum patrui sui successorem petiuit sibi assignari ampliora ecclesie bona, videlicet castrum Oyde et opidum Cempenich ex conditione literarum et instrumentorum successoris, que pro sua fundanda intentione in . . . . . produxit, per que constabat, quod officiati huius castri et bona tenentes, de mandato successoris dicto Adolpho promissa et juramenta

prestiterant, de ipsis castris post mortem successoris sibi assignandis.[65])

59°. loco prefuit ecclesie Coloniensi dominus Engelbertus III. de domo comitum de Marka ducens originem, patruus videlicet Adolphi resignantis supradicti. Iste prius ecclesie Leodiensis episcopus, quam per 20 fere annos strenue et laudabiliter rexerat, post resignationem Coloniensis ecclesie, per dictum Adolphum consanguineum suum factam, statim ad ipsam Coloniensem ecclesiam per papam Vrbanum V. fuit translatus. Vir quidem mature elatus et probitate et fama in regimine Leodiensis ecclesie plurimum gloriosus, qui ob spem recuperande salutis desolate Coloniensis ecclesie, cum omnium tam de clero quam de populo gaudio, votiue est susceptus. Verum quia opprobrium Coloniensis ecclesie nondum fuit exinanitum et scriptum erat vt de fece ipsius biberent peccatores, eiusdem votiuis contraria successerunt. Cum enim ipse Engelbertus propter preterita mala ecclesiam necessariis rebus omnino inuenisset exhaustam, surgentibus quoque circa principium sui regiminis sibi guerris, compulsus ex alieno ere suis et ecclesie necessitatibus subuenire, plura potiora contraxit debita, possessiones ecclesie, castra et fortalitia quecunque sibi fuerant libera, creditoribus obligando; fortiter tamen imperium agens, castrum nouum infra opydum Lyns, per quod comitatum et villarum subditarum frangens superbiam, magnis sumptibus instituit et muniuit, vbi et prefatas communitates compulit renunciare conspirationibus, quas dudum in scandalum ecclesie fecerant et literas super eisdem confectas, in sua presentia lacerare. Tandem expensis et debitis grauatus, cum esset vir plane sincerus et in agibilibus de proprio ingenio non multum acutus, plus bellis quam conciliis aptus, deprimente senio vires eius et morbo artherico, quo multo tempore laborauerat, membris confractis, sentiens in regimine ecclesie se deficere, anno sui regiminis 3$^{io}$ dominum Cononem archiepiscopum Treuerensem, virum indu-

65) Adolf II. Graf v. d. Mark, Erzbischof 21. Juni 1363, resignirte 18. März 1364.

striosum atque strenuum et in rebus necessariis opulentum, in coadiutorem assumpsit, cui etiam tunc auctoritas sedis apostolice intercessit et sic idem dnus. Engelbertus archiepiscopo Treuerensi sollicitudine et administratione Coloniensis ecclesie commissa, ipse deinceps priuatam duxit vitam, retinens sibi duo castra et de redditibus ecclesie, pro honorabili statu, habundantem portionem; 5to autem sue cathedre anno, post longas morborum fatigationes decumbens in castro Brole, rebus humanis est exemptus mensis Augusti die 26. anno domini 1368; corpore ipsius translato Coloniam et in ecclesia s. Petri, ante armarium a sinistro latere chori, sepulto in tumba noua, quam ipse sibi construere fecerat adhuc viuens. Sedit itaque idem dnus. Engelbertus III. annis 4, mensib. 4 et diebus 20.[66])

Prefatus ergo archiepiscopus Treuerensis C o n o dicto domino Engelberto Coloniensi archiepiscopo, per sedem apostolicam in coadiutorem datus, statim cepit ecclesiam Coloniensem quantum patiebatur temporis breuitas, ipso Engelberto adhuc superstite, per suam prudentiam congrue reformare, debita eiusdem Engelberti persoluere et obligata in magna parte, suis pecuniis absoluere et ad integritatem ecclesie reuocare. Inter alia autem absoluit a duce Juliacensi, nobilem antiquam possessionem Coloniensis ecclesie, opidum Tulpetum cum suis juribus; quod quidem a longissimo tempore in manibus comitum Juliacensium steterat obligatum. Ipse etiam de seditiosis opidi Andernacensis ciuibus, publicam fecerat vindictam et justitiam, auctores conspirationis, quam contra Wilhelmum et Engelbertum archiepiscopos se dudum erexerant, faciens plecti sententia capitali, alios ex eisdem exilio proscribi, pontem insuper castri ibidem, per dictos seditiosos dudum confracti, denuo fortiter reparauit. Porro cum pace et subditorum optata quiete administrauit ecclesiam Coloniensem illo tempore sine gwerris, vsque ad obitum dni. Engelberti. Nam famata eius probitas et animosa constantia, potentibus conterminis eccle-

66) Engelbert III. Graf v. d. Mark, Erzbischof 1. April 1364, † 25. Aug. 1368.

sie, per experientiam fuit nota et illarum duarum Coloniensis et Treuerensis ecclesiarum in eadem persona vnita potentia, conatus aduersariorum fortiter deterrebat. Post obitum autem dicti dni. Engelberti Colon. archiepiscopi, vacauit ecclesia Coloniensis, stans absque pastore duobus annis et per 3 menses. Et interim statim post dicti dni. Engelberti obitum, capitulum Coloniense assumpsit denuo in administratorem Coloniensis ecclesie dominum Cononem Treuerensem archiepiscopum sepedictum, cuius administrationis officium sedes apostolica confirmauit. Tandem dictum capitulum Coloniense fecit dno. pape Vrbano V. solempnem postulationem, de persona eiusdem domini Treuerensis ad Coloniensem ecclesiam transferenda, cui quidem postulationi idem dnus. papa prebens assensum, transtulit eundem dnum. Cononem de Treuerensi ecclesia ad Coloniensem, dum tamen ipse dnus. Treuerensis vellet. Scilicet quia ipse translationi sue non consenserit, quia potius voluit manere in ecclesia Treuerensi, primo idem dnus. papa, mutato tytulo administratoris, dedit sibi ecclesiam Coloniensem per tanti temporis spatium in commendam, postea vero mutato tytulo commende, idem dnus. papa reseruans sibi ad vsus camere apostolice dictam Coloniensem ecclesiam, fecit eundem archiepiscopum Treuerensem in Coloniensi ecclesia suum et apostolice sedis vicarium generalem, quo iterum titulo postea mutato, fecit eundem denuo ipsius ecclesie administratorem. Et hoc rerum ordine status ecclesie Coloniensis, post obitum domini Wilhelmi, multis aduersitatibus agitatus, nunc denuo sue diuturne vacationis tempore, sub varietate dubii et incerti regiminis admodum febricitans, a spe cretica crebro reciduans, sue desolationis apud alienos solatia mendicabat. Inter hec prefato domino archiepiscopo Treuerensi Coloniensem ecclesiam post obitum dni. Engelberti juxta ordinationem sedis apostolice taliter administrante, res ipsius ecclesie Coloniensis, sibi auxiliante domino, satis prospere successerunt. Nam cum quidam nobiles, coniuncta valida manu, fines Coloniensis ecclesie subito et inprouiso hostiliter inuasissent, officiati et satellites eiusdem Treue-

rensis archiepiscopi, in confinio et districtu opidi de Lechnich cum ipsis confligentes, felicem de inimicis sunt victoriam consecuti; Ex illis plus quam 60 viros militares capientes. Eisdem temporibus scil. anno dni. 1369 surrexit magna commotio et turbatio valida, inter rectores et vniuersitatem ciuium Coloniensium ex vna parte et ecclesias atque clerum ipsius ciuitatis contra ex aduerso. Nam consules et maiores, clero semper infesti, quod statuta et edicta publica statuerunt de tallijs scil. rerum venalium generaliter, per omnes soluendum de emtoribus rerum memoratarum, presertim vinorum extra Renum, de vinis ad forum commune non uero certis locis sub certo pretio et mensura vendendis et huiusmodi similibus, per que ipsi sufficuerunt Coloniensibus vtilitatibus rei publice, personas ecclesiasticas et res ipsarum, talliarum et collectarum nec non libertates ecclesiarum et inmunitates suprimere subtiliter nitebantur, sed clerus aduertens presentem omnium intentionem, simulauit ad tempus.[67])

Anno ergo dni. 1370 cum ecclesia Coloniensis tot discriminibus subiaceret, predicti Cononis archiepiscopi Treuerensis et administratoris ecclesie Coloniensis consilio et auxilio, erat postulatus in archiepiscopum dicte ecclesie dnus. Fridericus, nobilis comitis de Sarwerd filius, canonicus maioris ecclesie junior, pro tunc Bononie in jure canonico studens, etatis sue anno $22^{\text{do}}$ qui suam postulationem prosequens coram Vrbano V. papa in curia Auiniensi, qui tandem papa, morte preuentus Rome, dicti Frederici postulationem non confirmauit. Sed dnus. Gregorius XI. papa, qui successit Vrbano V. Rome suam confirmauit postulationem ac in archiepiscopum Coloniensem dedicauit et confirmauit. Hic Fridericus est $3^{\text{tius}}$ eiusdem nominis, vtpote juuenis ecclesiam suam sancte Colonie dum intraret ao. dni. 1372 inuenit maxime desolatam juxta prius dicta; castra, thelonea hinc inde creditoribus obligata et impignorata que omnia, excepto castro Godesberch, quod quidem castrum

67) Cuno Graf von Falkenstein, Administrator des Erzbisthums Cöln 1368, ging zurück als Erzbischof nach Trier, nach 21. Febr. 1370.

ex toto vacuum vtensilibus, coquine, camerarie et omnium horum que ad humanum vsum haberi consueuerunt et data erat ei debitorum ecclesie cedula, continens quadringenta milia florenorum de Reno et 74 milia. Qui quidem dnus. Fredericus juenili animo plenus ex toto grauatus, tandem ad consilium amicorum suorum, vtpote bone indolis juuenis et ingeniosus, ac industria prouidus et clarus, manum misit ad ardua. Consilio sui auunculi Cunonis archiepiscopi Treuerensis, generose in omnibus se gerebat, consilium antiquorum gloriosorum militum, qui quondam erant de consilio gloriosi viri dni. Wilhelmi de Genepe, qui optime rexerat vt supra patuit, ad se traxit et cuncta eorum consilio fecit et ordinauit. Castra redemit, debita soluit, nec tabefactus; sed manum posuit ad opus, cepit cum summa prouidentia gubernare talentum sibi datum, nec defecit animo, donec vniuersa debita, quamuis interim de sui status honorificentia parum aut nichil diminueret, absque dampnis et fenore persolueret, terras quoque et castra et possessiones ecclesie obligatas, breui temporis spatio, mirabili industria ad integritatem ecclesie reuocauit, plus omnibus ecclesie suo tempore acquisiuit de possessionibus, terris, castris et dominiis; Comitiam Arnsberg, jam ante annum ecclesie oblatam sed debitis grauatam, multa pecunia libertauit; in Reymbach . . . . pulcrum licet primum fundauit, castrum Popelstorp pulcre ornauit, castrum Frydstrom quod volgariter dicitur Sons, ex fundamento de nouo construxit et de villa opidum circumdatum muro adiunxit, turrim Oyde in territorio Kempen fundauit, villam Reyns muro pulcherimo circumdedit, Tulpetum sumptuose muro et turribus communiuit, in Brenlone castro, aulam duplicem cum cellario multum lato, sumptibus magnis fieri fecit et sic omnia bona ecclesie emendando, in vnum reduxit. Hic cum 43 annis gloriose rexisset ao. dni. 1414 in die pasce, post mediam noctem sequentem, hora quidem tertia, perceptis deuotius omnibus ecclesie sacramentis in Popelstorp bono fine quieuit et sepultus Colonie, post diem obitus sui die 7, sabbato in albis, cuius anima requiescat in pace amen.

Huius Frederici anno primo, scil. 1371 in die sancte Cecilie, erat bellum intestinum in ciuitate Coloniensi, presertim inter consilium et textores; in quo bello consilio cessit victoria et interfecti sunt textores in magna copia, alii perpetuo exulati, alii bonis priuati, alii exactionati et sic vt res illa expostulat, in omnibus male concitati. Eodem anno Renus exundauit circa festum purificationis, limites sui transitus excedens. In tantum enim creuerunt aque protunc, quod ciuitatem Coloniam intrantes, vsque ad forum feni peruenientes, prebentes ibidem hominibus sua profunditate nauigii indigentiam; videbantur enim in Reno ciste, lecti, sedilia et alia domorum vtensilia, porci, oues et boues, eque arbores et case magne defluentes et in summitate vnius domus quidam homo diuaricatis cruribus sedens et plangens, similiter cum aqua ad partes descendebat inferiores, nullus enim juuare potuit vel presumebat.

Anno 4^to^ dicti dni. Frederici et ao. dni. 1354 mirabilis apparuit hominum vtriusque sexus infirmitas; putabatur enim, quod cuncti essent obsessi, specialem et internum singularem modum habentes saltandi, de latere dextro in sinistrum et repetendo de sinistro in dextrum et hoc continuando per horam et horas et strinxerunt corpora sua peplis vel manutergiis seu quibus, qualibus ad manum habere poterant. Ceciderunt quoque post saltum ad dorsum mouente se corpore, quia ad interim esset spiritus inclusus, ex quo motu lesi, in subleuamen lesionis petebant calcari pedibus hominum, sicut folles organorum vel fabrorum, quorum multi exorcismo sunt curati, post curationem vero, quia maxime erant debilitati, lecto decumbentes, alii morientes et curati, nunquam pristinam sanitatem recuperarunt. Et durauit hec infirmitas fere per annum.

Anno 6^to^ dni. Frederici, dni. 1376, dnus. Frydericus grauiter offensus ciuibus Coloniensibus pro juribus et libertatibus cleri et ecclesie sue et tandem orta gwerra grauissima inter eos, dnus. archiepiscopus jacuit per vnam integram diem et noctem ante ciuitatem super Renum, juxta leprosorium quod est super Renum. — Eadem tempestate

Colonienses, timentes ne dnus. Coloniensis faceret de Tuitio fortalitium et se ibi poneret contra ciuitatem, totaliter villulam cum duabus ecclesiis et monasterio destruxerunt. Ex quo facto incurrerunt excommunicationis sententiam, canonis et pape et manserunt sine diuinis septem annis, vsque ad condignam emendam reedificationis ecclesiarum et claustri. — In hoc quidem prelio comes de Marka Engelbertus prestitit Coloniensibus presidium contra dictum dominum Frydericum et cepit inter eos quam plurimos et durauit longo tempore.

Anno dni. Frederici 10mo qui est annus dni. 1380 circa festum beati Augustini, fuit magna combustio Colonie in foro piscium et turris s. Martini majoris erat combusta.

Anno Friderici 14to s. 1384 fuit secunda gwerra seu 2dum prelium inceptum inter eundem dnum. Frydericum et comitem Engelbertum de Marka, comitem Clyuensem et dominos de Ryperscheyt, Ysenburg, que gwerra tandem dominus N. de Morse complanauit, qui erat sororius dicti dni. Fryderici. Et fuit facta pax generalis in Westphalia inter principes temporales et spirituales; et durauit fere 10 annis.

Ao. dni. 1384 circa festum beati Johannis baptiste fuit castrum de Dickho destructum per dnum. Frydericum archiepiscopum, ducem Juliacensem et per pacem communem. Eodem anno viguit vbique pestilentia.

Ao. dni. Fryderici 15to, dni. 1385 fuit obsessum castrum Ryperscheyt.

Ao. dni. Fryderici 24to fuit pax generalis per regem Wenzlaum romanorum et Bohemie prouocata et incepit 3tia gwerra inter eosdem dominos Frydericum archiepiscopum Coloniensem et Engelbertum comitem de Marka scil. ao dni. 1394 et durauit quousque comes de Marka morte preuentus prelio finem dedit.

Anno dni. 1388 circa festum Michaelis rex Francie intrauit ducatum Juliacensem cum trecentis milibus, vt dicebatur, armatorum. Erant enim in suo exercitu dux Burgundie, dux Brabantie, dux Byturicensis, dux Andaganie, dux Lotharingie, dux Barensis, dnus. Sabaudie, comes sti Pauli

et 3 ejusdem filij, dnus. Arragonie, Nauarre et Cicilie et multi comites, volentes intrare ducatum Gelrie, sed non valuerunt propter aquarum inundantiam et vltra solitum continuam pluuiam. Et sic interpositione dni. Fryderici archiepiscopi Coloniensis et suis placitis facta est pax inter regem et ducem Wilhelmum Juliacensem. Tandem post mensem rex cum suis reuersus est ad patriam suam, proprio cum honore.

Ao. dni. 1394 fuit vbique magna pestilentia.

Ao. dni. 1403 Wilhelmus dux de Monte in die Damasi pape, captus fuit a filio suo Adolpho et post sequenti anno, in crastino sti Bartholomei, per dictum Frydericum archiepiscopum Coloniens. generose et astute a captiuitate liberatus et in castro Sons, quod et Fridstrom, gloriose a dicto dno. Fryderico receptus, de nouo vestitus et pro expensis pecunia munitus.

Anno dni. 1408 fuit hyemps asperrima; Cum Renus erat communiter per totum congelatus; in cuius resolutione multe naues magne Colonie frangebantur glacie et periclitabantur.

Anno dni. 1409 in vigilia Mathie et 4 diebus sequentibus, fuit maxima inundantia aquarum, non multum minor quam anno dni. 1371, de qua supra facta est mentio.

Anno dni 1409 Wilhelmus junior, filius Wilhelmi ducis de Monte, episcopus Padelburnensis, fecit gwerram dno. Fryderico archiepiscopo Coloniensi, Adolpho comiti Cliuensi et Sosatiensibus, qui cum populo grandi incurrerunt dyocesin suam Padelburnensem et inceperunt intrare in paludibus Delbruge, ducti vt creditur traditorie, feria 4 quatuor temporum ante festum Christi et cum magno periculo et dispendio multorum, de illo loco recesserunt, multis ibidem captis, cum ciuibus multis Susatiensibus.

Anno dni. 1414 post festum purificationis superuenit tussis grandis in homines, ita mirabilis et seua, quod non parceret sexui, etati vel statui; quod omnes inuaderet persequendo et quamplures, maxime senes, ab hac vita auferendo.

Anno dni. 1414 in die pasce post mediam noctem sequentem soluit debitum vniuerse carnis. [68])

Anno dni. 1414 feria 5 post dominicam in albis, que fuit dies 19 Aprilis, fuit intrusus dnus. Wilhelmus de Monte episcopus Padelburnensis per quosdam non legitime electus, scil. a Johanne Quintyn decano beate virginis ad gradus, a Jacobo de Someren canonico, presente fratre suo Gerardo, preposito maioris ecclesie et dominis ducibus de Monte Adolpho et Reynero Juliacensi ac Gelrie presentibus, in choro Coloniensi ac eisdem fauorem prestantibus, cum ciuibus Coloniensibus eisdem consentientibus. Decanus vero dnus. Johannes de Rechberg cum ceteris 15 canonicis intrusionem talem persentientibus, secesserunt in Bunnam, dantes locum ire et ibidem feria tertia post dominicam misericordias domini, que erat dies crastina s. Georgij, elegerunt concorditer dnum. Theodericum de Morse prepositum Bunnensem, pro tunc tutorem ecclesie Coloniensis, vtpote qui habuit omnia castra et munitiones ecclesie in sua tuitione. Hic electus est in archiepiscopum Coloniensem, cum fauore militum et militarium et totius populi communis. Hic Theodericus fuit confirmatus a dno. Johanne XXIII papa, penultima augusti eiusdem anni. Hic Theodericus fuit ordinatus in dyaconum sicut et sacerdotem in Bunna, in quatuor temporibus, in die sancti Mauritii et post consecratus in episcopum anno dni. 1415 scil. in crastino purificationis beate Marie, in die sancti Blasii. Hic insuper coronauit regem Romanorum, regem Vngarie Sigismundum eodem anno et tempore Aquisgrani. Post septimo die mensis februarij intrauit gloriose ciuitatem Coloniensem cum magna gente et solempnitate, celebrauitque missam in pontificalibus aliaque fecit que moris erant. Ciuitas fecit sibi homagium et inde cepit gwerra detestabilis inter intrusum ducem de Monte, fratrem intrusi et archiepiscopum Theodericum Coloniensem, cui ciuitas adhesit. Hic tandem intruso episcopo

---

68) Es ist nicht gesagt, wer zur angegebenen Zeit gestorben sei. Ohne Zweifel ist aber Erzbisch. Friedrich gemeint, denn Friedrich III. Graf v. Saarwerden wurde Erzbischof 13. Nov. 1370 und † 8. April 1414.

Padelburnensi sine ordinibus constituto, dedit in vxorem filiam sororis sue, que fuit vxor comitis de Tekeneborch, cum aliquali pecunia, quod dimisit ecclesiam vt . . . . . tenuitque ratione patrimonij comitatum de Rauensberch et sic genuit filios et filias. Sed gwerram continuauit frater suus dux de Monte, que quidem gwerra fuit pacificata per regem Romanorum Aquisgrani anno dni. 1416 in festo Lucie virginis.[69])

Anno dni 1418 incepit gwerra inter ciuitatem Coloniensem, cui adhesit dnus Adolphus dux de Monte, quam postea pacificauit dnus archiepiscopus Treuerensis anno dni. 1419. — Eodem anno contigit mirabilis casus. Nam concilium generale fuit Constantie et propter eiusdem visitationem multi conuenerunt latrones et quamplures perdiderunt omne etc.

Eodem anno dnus. Adolphus Clyuensis dux incepit gwerram cum fratre suo Gerhardo, qui vnitus cum militaribus terre Markensis et cum ciuitatibus, exceptis Vnna et Camen, stetit in Hammone contra fratrem suum ducem, temperauitque castrum de Marka; liberauit quoque castra Keyserswerth et Dusborch que castra obsessit dux in quadregesima, anno dni. 1420 et post in ebdomada prima post octauam pasce obsedit opidum Swerte, domicello Gerhardo confederatum, ad quod tandem misit ignem sicque combustum obtinuit et recessit. Post cujus recessum domicellus Gerhardus interminauit opidum Vnna et sic durat bellum vsque hodie.

Anno dni. 1420 dux Burgundie interfectus est et filius eiusdem regnauit pro eo, quo et ipse post festum pasce interfectus est.

Ao. dni. 1420 bladum erat in tanta copia quod quidem nullius erat reputationis, mensura siliginis pro solido monete sosatiensis, triticum pro 14 den. ordeum pro solido, annona p. 8 den. et tanta erat siccitas et calor in februario, martio,

---

69) Diebrich II. Graf von Mörs, Erzbischof 24. April 1414, † 14. Febr. 1463 nach einer fast 49jährigen Regierung, in welcher Dauer sie vor und nach ihm kein cölnischer Erzbischof geführt

aprili et majo, quod non esset tempus tale in memoria hominum. Eodem anno Aprilis erat calidus et martius et sequebatur magna pestilentia generalis. [70])

---

[70]) Die Nachfolger Diedrichs II. auf dem erzbischöflichen Stuhle zu Cöln sind folgende:

Rupert Pfalzgraf 24. April 1414, † 16. Juli 1508.
Hermann IV. Landgraf v. Hessen 11. Aug. 1480, † 20. Oct. 1508.
Philipp II. Graf v. Daun z. Oberstein 13. Nov. 1508, † 3. Aug. 1515.
Hermann V. Graf v. Wied 1515, entsetzt 16. Apr. 1546.
Adolf III. Graf v. Schauenburg 3. Juli 1546, † 20. Sept. 1556.
Anton Graf v. Schauenburg 26. Octob. 1556, † 18. Juni 1558.
Johann Gebhard Graf v. Mansfeld 26. Juli 1558, † 2. Nov. 1562.
Friedrich IV. Graf v. Wied 19. Nov. 1562, resign. 23. Dez. 1567.
Salentin Graf v. Isenburg 23. Dez. 1567, resign. 13. Sept. 1577.
Gebhard Truchseß v. Waldburg 5. Dez. 1577, entsetzt 1. April 1583.
Ernst Herzog v. Baiern 23. Mai 1583, † 17. Febr. 1612.
Ferdinand Herzog v. Baiern 12. Märtz 1612, † 13. Sept. 1650.
Maximilian Heinrich Herzog v. Baiern 26. Oct. 1650, † 3. Juni 1688.
Joseph Clemens Herzog v. Baiern 19. Juli 1688, † 12. Nov. 1723.
Clemens August I. Herzog v. Baiern 12. Nov. 1723, † 6. Febr. 1761.
Maximil. Friedrich Graf von Königsegg-Rothenfels 6. April 1761, † 18 Märtz 1784.
Maximilian Franz Erzherzog v. Oestreich 15. Apr. 1784, † 27. Juli 1801.
Anton Victor Erzherzog v. Oestreich gewählt 9. Sept. 1801, resignirt auf die Wahl. Hierauf Säcularisirung des Churfürstenthums Cöln und Sedisvacanz des Erzbisthums bis 20. Dez. 1824 wo als Erzbischof folgte:
Ferdinand August Graf Spiegel zum Desenberg, † 2. Aug. 1835.
Clemens August II. Frhr. Droste zu Vischering 1. Dezember 1835, † 19. Oct. 1845.
Johann v. Geissel, Coadjutor 1842, Kardinal 30. Sept. 1850.

# VIII.

## Jacobi de Susato

al. de Sweve

## Chronologia Comitum de Marka.

1390.

---

Die nachfolgende Genealogie der Grafen v. d. Mark gehört zu den frühesten Arbeiten des Verfassers. Er sagt nämlich von Adolf, dem neunten Grafen von der Mark, derselbe sei noch im Leben (qui adhuc vivit). Adolf starb aber 1394. Da nun Jacobus, wie wir aus den oben (S. 161) mitgetheilten Nachrichten von seinen Lebensverhältnissen wissen, 1390 zu Soest in den Prediger-Orden trat und von dort, zur Vollendung seiner theologischen Studien, noch nach Prag geschickt wurde, wo er weder Veranlassung noch Gelegenheit hatte, sich mit westfälischer Geschichte zu befassen, so kann diese Arbeit nur in die Zeit seiner Jugend (1390—1394) fallen. Sie ist auch keineswegs eine vollständige, indem sie nur die Aufeinanderfolge der regierenden Grafen, nicht auch die ihrer Geschwister und der davon ausgegangenen Nebenlinien darstellt. Um die Vergleichung derselben mit der von Northoff gegebenen Genealogie (S. 14) so wie mit den Nachrichten, welche Lacomblet in der Vorrede zum II. Bande des niederrheinischen Urkundenbuchs S. XXXIV. über die Familien-Verhältnisse der Grafen von Altena und Mark mittheilt, zu erleichtern, geben wir nachstehend eine schematische Uebersicht

der von Jacobus angelegten. Letztere stimmt wesentlich mit der Northoffschen, reicht jedoch etwas weiter hinab bis auf die Zeit des Verfassers; dagegen stimmt sie nicht überall mit den urkundlichen Zusammenstellungen Lacomblets, welche vielmehr für die früheren Generationen wesentliche Abweichungen bedingen.

## N.

| | |
|---|---|
| Adolfus $1^{mus}$ Comes de Altena et Aldenborch. | Eberhardus. |

| | |
|---|---|
| Bruno II. archiepiscopus Coloniensis. | Adolfus $2^{dus}$ Comes de Altena. |

| | | | |
|---|---|---|---|
| Fridericus II. archiep. Colon. qui obiit in Papia. | Eberhardus $3^{tius}$ Comes in Altena. | Bruno III. archiep. Colon. | Engelbertus Comes de Monte |

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Adolfus I. archiep. Colon. 1193. | Fridericus $4^{tus}$ Comes in Altena. | Everhardus Comes in Nienbrügge et Ysenborch. | Adolfus Com. de Monte † 1218. | Engelbertus I. archieps. Colon. occisus 1225. |

| | |
|---|---|
| Adolfus $5^{tus}$ Comes de Altena $1^{mus}$ Com. de Marka † 1249. | Fridericus Com. de Ysenberg qui interfecit 1225 Engelbertum I. de Monte, archiep. Colon. |

| | |
|---|---|
| Engelbertus $2^{dus}$ Comes de Marka († 1277). | Otto († 1262). |

Everhardus $3^{tius}$ Com. de Marka († 1307).

Engelbertus $4^{tus}$ Comes de Marka († 1328).

Adolfus $5^{tus}$ Com. de Marka († 1347).

| | |
|---|---|
| Engelbertus $6^{tus}$ Com. de Marka decessit sine herede († 1391). | Adolfus Episcopus Monasteriensis et archieps. Colon. postea duxit filiam Comitis de Monte. Comes Clivensis et post fratrem Comes de Marka 1391. |

Theodoricus $8^{vus}$ Com. de Marka († 1398).

Adolfus $9^{nus}$ Comes qui adhuc vivit († 1394).

Anno post Lotharium imperatorem, in Westphalia comitia de Marka sumpsit exordium sic. Duo fratres Adolphus et Euerhardus de Ytalia venientes, duo castra Altena et Aldenborch edificauerunt. Euerhardus monachatur, Adolfus fundat monasterium in Aldenborch in quo postea sepelitur. Iste Adolfus fuit primus comes de Altena et Aldenborch; hic genuit Brunonem qui tempore Lotharii ecclesie Coloniensi presedit; et Adolfum comitem.

Adolfus $2^{dus}$ comes genuit Fredericum archiepiscopum Coloniensem, Euerhardum comitem de Altena et Engelbertum comitem de Monte et Brunonem episcopum Coloniensem.

Euerhardus $3^{tius}$ comes genuit Adolfum episcopum Coloniensem, qui factus est episcopus anno dni. 1193; item genuit Fredericum et Euerhardum.

Fredericus $4^{tus}$ comes in Altena, genuit Adolphum $1^{mum}$ comitem de Marka, qui fuit $5^{tus}$ comes de Altena.

Adolfus $1^{mus}$ comes de Marka opidum Ham construxit ao. dni. 1225 et Blankenstein vbi Ysenburch . . . . fuit anno sequenti. obijt ao. Cr. 1249, genuerat autem Engelbertum et Ottonem.

Engelbertus fuit $2^{dus}$ comes de Marka, Radulphi anno 5.

Alii, qui putant sic dictam a regina quadam, quæ cum ad fontem, quem hodiedum incolæ die Arschkerwe apellant,[4]) manus abluisset (fons enim limpidissimus ac frigidiusculus est) annuli oblita, quem lotura exuerat, exinde jam ad aliquod spatium abiisset, protinus relicti memor, ad pedissequam dixisset: vade, vide, gehe, siehe, si annulus ad fontem relictus; hi certe joco agere videntur. Pro hac opinione solebat admodum reverendus Dominus Joannes Wrede pastor in Störmede, homo facetus et in antiquitatibus et historiis patriæ apprime versatus, uti familiari versu:

„Vade vide, sic est, puls pretium, scabies, quis l.“
Gehe siehe, So ist, Bry lohn, Ruide, Wer l.[5])

Ceterum, ut sunt diversæ opiniones, unde dicta Geseka, sic diversimode scribitur in antiquissimis litteris. In litteris Hildolfi Archiepiscopi Coloniensis dicitur Gesecho, in litteris Othonis imperatoris, datis in Pathurbrunnon, anno 958, dicitur Gisici,[6]) quas citat Ferdinandus episcopus Paderbornensis in monumentis suis fol 101 et Stangefolius. In vita s. Meinwerci dicitur Gesike. In antiquissimis schedis archivii Bodecensis scribitur: quod anno 1233 castrum Stœrmede prope Gesecon obsessum fuerit. In eodem archivio Johan Füchte judex in Geseka anno 1456; in eodem archivio Joanes Rhoden primissarius in ecclesia s. Cyriaci in Gesiken anno 1442 etc. Sic quoque scribit Joannes Hanecker in bello Westphalico. Henricus de Hervordia scribit in oppido Gheseke etc. Poeta quidam antiquus M. S. in descriptione civitatum Westphaliæ:

---

4) Die Benennung ist noch gebräuchlich und compromittirt fortwährend den aesthetischen Geschmack der Geseker. — 5) Es bedarf wohl kaum der Bemerkung, daß es sich hier um eine Uebersetzung der Namen von den 5 westfälischen Hauptstädten handelt. — 6) Seibertz a. O. I. Nr. 9.

„Nobilis antiquo porrecta Gesæca muro
Debet Haholdinis natalia nomina castris."[7])

Quoniam igitur sic variant scriptores, nemo facile divinabit, unde urbi nomen, præsertim quia superest pagus diœcesis Coloniensis prope Susatum, qui dicitur Altengesike, sic procul dubio dictus, ad differentiam nostræ Gesecæ, quod ætate sit junior. Est deinde pagus ad Ruram fluvium, qui dicitur Gesecke prope oppidum Schwerdte in comitatu Marcano. Sic nihil super est, nisi ut fateamur cum poëta:

„Sic pereunt homines: monumenta excelsa fatiscunt
Mors etiam saxis, nominībusque venit." [8])

## Caput secundum.

### Quo tempore Geseca in urbem excreverit.

In litteris Hildolphi archiepiscopi Coloniensis, datis in Recklinghausen anno 1028 dicitur villa Gesecho.[9]) Henricus vero de Hervordia ordinis Dominicanorum ex Susato antiquissimus scriptor, qui exstat manuscriptus in bibliotheca Dalheimensi canonicorum regularium s. Augustini, primordia Gesecæ altius repetit; nam tempore Ludovici pii anno 836 oppidum fuisse scribit, cujus haec sunt verba: „in Geseko oppido Westphaliæ fuit quædam canonica, puella multum honesta, etiam annosa, hujus pilos omnes per medietatem corporis sinistram totam, tam in capite, quam in palpebris et superciliis fulmen adurens, dextram medietatem totam intactam reliquit, nec quidquam corpus læsit, anno supra nominato regentis Ludovici 24." Hic notandum, quod villa, pagus, oppidum, ab illius sæculi scriptoribus passim confundantur, villa sumitur aliquando für einen Lustgarten, ut Tus-

---

7) Die deutsche Uebersetzung schaltet hier noch eine andere geistreiche Ableitung des Namens Geseke, plattdeutsch Geiseke, ein. Der Platz, worauf die Stadt steht, soll sonst ein bruchiger Ort gewesen sein, auf dem die umwohnenden Bauern ihre Gänse, in Geseker Plattdeutsch: Gäuse, weiden ließen und der deshalb die Gäuse-Ecke hieß. Nachdem nun später die Stadt hierauf gebaut war, so erhielt auch sie den Namen Gäusecke. Die Ableitung ist fast witzig und würde einer Gaus Ehre machen. — 8) Geseke heißt im Plattdeutschen Geiseke. Die alte ausgestorbene Familie v. Altengeiseke oder Aldenyeschen, führte einen aufspringenden Geisbock im Wappen. — 9) Die Urkunde ist von 1077. Seibertz U. B. I. N. 32.

culanum Ciceronis; aliquando für einen Meyerhoff, aliquando pro integro pago, ut Lucæ 14: villam emi, eo videre illam. Juxta mentem Domini Chrysostomi, qui homilia 18 in actis Apostolorum ait: »Supplico et gratiam peto, imo et legem pono, ut nullus, qui habeat villam, appareat carere ecclesia. Pagus aliquando sumitur pro integro comitatu aut ducatu ut patet in notis ad vitam beati Meinwerci; ubi pagus Engere pro comitatu Angaria ponitur numero 79.[10]) In diplomate Henrici imperatoris scribitur: in pago Hassia, non secus ac in Hassia regione. Aïmon L. 4. c. 42. Et sic villa seu pagus etiam pro oppido sumi potest, ad quod videtur respexisse Henricus de Hervordia; alioquin Gesecam non dixisset oppidum tempore Ludovici regnantis, cum constet ex Gobelino Person in Cosmodromio suo cap. 38 ætate 6. illo tempore in tota hac patria non fuisse locum muris cinctum, paucis castris exceptis. Castra vero haec fuerunt Eresburgum ad Dimolæ fontes, quod Carolus Magnus anno 772 Saxoniam bello aggressurus cepit, ut habet vita Caroli. Castrum Bodicon, de quo litteræ Bodecenses. Castrum Geseke, castrum Brencken, Kirchburgnon, Wewelsburg, de quo Joannes Horion in panegyri Paderbornensi. Hæc castra Hunnorum tempore exstructa fuere, unde visuntur hodiedum prope dictos pagos, Hunnorum sive Hungarorum fossæ, et sic tota patria non ex oppidis, sed ex pagis et castris constabat. Unde poeta anonymus:

Quot pagos, tot pene duces plebs omnis habebat.

Donec tandem anno 1180 tempore Friderici Barbarossæ imperatoris, sub Archiepiscopo Coloniensi Philippo von Heinßberg, Ducatus Westphaliæ et Angariæ ad diœcesin Coloniensem translatus est, et devicto ejectoque Henrico Leone Saxoniæ duce e castro Arnsberg, numeratis eidem ab Archiepiscopo 50,000 marcis argenti,[11]) patriæ status immutatus fuit, ut villæ et pagi uniri, in oppida, castella et

---

10) Nach der Ausgabe von Overham (gedruckt zu Neuhaus 1681.) S. 388. — Vita Meinw. ap. Pertz XI. 149. — 11) Das castrum Arnsberg hat Heinrich dem Löwen nicht gehört, auch hat ihm der Erzbischof v. Cöln für den Ducat in Westfalen nie etwas gezahlt.

urbes excrescere et adversus comites Arnsbergicos muris muniri ceperunt. [Ita M. S. Bœdecensia et Werlensia.]

Comites Arnsbergenses patriæ huic semper infensi, continuis exactionibus Martisque pressuris vexaverunt, ut constat de Friderico comite Arnsbergico, qui anno 1122 castrum Wevelsburg instauravit et exinde variis excursionibus vicina loca turbavit. [Ita Gelenius in vita s. Engelberti c. 42 et ex tabulis castri Burani.] Et de Conrado comite Arnsbergico, qui non secus egerat; hic tandem tamen in proelio contra Bernardum de Dieseden episcopum Paderbornensem [12]) suscepto, occubuit circa annum 1143. [Gobelinus Person in Cosmodromio suo ætate 6. et Hermannus Kersenbrochius in cathalogo episcoporum Paderbornensium. Aegidius Gelenius L. 3 historiæ in vita s. Engelberti.]

Quanquam vero illa pars Westphaliæ, in qua Geseke est, adjecta fuit ditioni Coloniensi tempore Brunonis Archiepiscopi, qui fratre Othone imperatore abeunte in Italiam, vicarium in Germania imperium tenebat, ut patet ex Chronico Coloniensi fol. 1034 et quamquam in ejusdem Othonis imperatoris diplomate quodam legatur, quod dictus imperator monasterio Gesecensi dederit omne solum, quod ejusdem civitatis interioris muri ambitu continetur, [13]) attamen Geseka nostra non prius munitæ civitatis faciem induit, quam devastatis bello Arnsbergico circumjacentibus aliquot pagis, coloni migrare coacti, ut sunt villa Stalpe, quæ a sinistris est ituris à Geseca Paderbornam, villa Velmede, villa Holthusen, quæ euntibus Bodecam via est per vallem, visuntur hodiedum rudera Cœmiterii, ubi sæpius demortuorum ossa arantium rastris eruuntur; villa Stockem, Wiethem (in vita s. Meinwerci dicitur Stockheim, Winiti) Heringhausen, Hüstede.

Ex his igitur Burschopiis, ut vocant, constat hodiedum Geseca, quæ unitis viribus mœnium præsidio se munierunt, quo deinceps ab hostium insultibus tutius viverent. Sic Mein-

---

12) Der Bischof hieß Bernhard v Oesede. Vergleiche übrigens Seibertz Geschichte der westfälischen Grafen S. 102. — 13) Seibertz Urk. Buch I. Nr. 8.

wercus decimus Paderbornensium præsul, Buschtorff pagum, nemore cinctum, muris inclusit, et villanorum accessione civitatem Paderbornensem auxit [ex M. S. Bœdecensibus] unde legitur in Choro Ecclesiæ Abdinghoffensis:

„Inclusit positis Padibornam moenibus urbem."

Interim tamen, priusquam Meinwercus mœnia locavit, civitas Patherburnensis dicta fuit, sic tempore Henrici aucupis nonus quisque vir ex agro in oppida, hinc inde noviter condita ac munita, translatus fuit, discrimine facto inter plebem urbanam et rusticam, ut loquitur Clüverius [L. 1 antiquit. Germ. C. 13 pag. 104] sic et Gesecam colonorum accessio ampliavit et munitiorem fecit.

## Caput tertium.

### Cui primario Patrono consecrata sit Geseca?

Laomedon Ili filius, Trojam conditurus, deos adhibuit operis artifices Neptunum et Appollinem, qui tecti humano schemate suam illi operam addixerunt. Sic placuit fabulari Ovidio L. 11. Metam., nobis vero fide in verum Deum illustratis fateri convenit, cum regio psalter. ps. 126: Nisi dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam; manca est enim omnis mortalium industria omnisque conatus, nisi primordia operum Deo auspice ducantur. Hujus probe gnari majores nostri, non urbibus, non oppidis, non castellis fundandis operam impenderunt, priusquam designato loco, qui vero Deo invocando semper consecrandus deputatus fuerit. Is imprimis erat zelus Magni Caroli, qui subjugata jam Saxonia, disturbatis undique idolis, disjecto prope Stadtbergam Irmensulio, ad Lupiam deturbato Crodo, apud Bructeros expulsa Veleda, ad Ruram eliminata Dea Thanfana,[14]) Deo vero ubique templa erigere cepit per omnem regionem illam, ad quæ rudis in fide populus confluere doceretur et sacramentis cœlestibus initiari consuesceret, ut habet Author translationis Liborianæ C. 10 Nro. 2. Hinc anno 780 Paderbornæ deinde ad radicem

14) Ueber das templum Tanfanæ s. die Abhandl. von Giefers in der Zeitschrift für westf. Gesch. VIII S. 261.

montis Eresberg exstrui fecit sacellum à Leone pontifice consecratum, item in Siddinghausen, qui pagus diœcesis Paderbornensis 2—3 horis Geseca distat, quod idem Leo papa anno 799 consecravit; de quo Caspar Scioppius in genealogia Burana. Hinc ait poëta quidam a Reineccio editus:

„Quot nunc ecclesiæ fulgent, ubi vana colebant antiqui."

Wichtrudis vidua, mater s. Meinolphi, illustris domina in Bodicon, non procul ab hereditario castro in eminenti clivo fundavit ecclesiam sub patrocinio s. Martini episcopi; restant hodiedum rudera. Eidem sancto consecratum fuit sacellum in districtu nobilium virginum Gesecæ, quod dicitur fundatum primitus à prænobili familia de Hoholt, antequam castrum in claustrum mutaretur, jam dirutum quidem et anno 1686 loco suo motum, à fundamentis tamen renovatum est.

Tandem crescente fidelium numero, regnante Ottone magno, antequam Geseca cathedræ Coloniensi subjiceretur, fundatur insignis basilica, quam ss. apostolis Petro et Paulo tutelaribus patronis majorum pietas dicatam ac consecratam voluit, ut patet ex litteris archivii Arnsbergensis. Fuit olim hæc ecclesia florentissima Dei ministris, lautissima majorum fundationibus. Circa annum 1550 sub Philippo Catone fuerunt in hac ecclesia Domini: Henricus Beckmann, vicarius ad altare s. Catharinæ. — Jodocus Herboldt, vic. ad alt. sanctissimæ Trinitatis. — Tilemannus Orth, vic. ad alt. ss. Philippi et Jacobi. — Gerhardus Greve vic. ad alt. s. Michaelis archangeli. — Joannes à Lohn vic. ad alt. s. Hyeronimi. — Liborius Wippermann ad alt. s. Nicolai. — Lambertus Buscher ad alt. s. Spiritus. — Bernardus Dœring ad alt. s. Crucis. — Joannes Plaggenmeyer ad alt. B. M. Virginis. — Ravenus ab Hörde ad alt. s. Antonii in sacello Jsloe, præpositus Monasteriensis.

Hoc sacellum in Jsloe ædificatum fuit à villarum colonis ibidem sub pastore Gerardo ad s. Petrum in Geseke anno 1325. Cui pastori quotannis reservata exsolutio 12 dena-

riorum legalium in recognitionem. Jam dirutum est hoc sacellum cum villis adjacentibus circa annum 1415 tempore Theodorici de Moers archiepiscopi Coloniensis. Prædictorum vero altarium redditus, cum vix sacerdoti sustentando sufficerent, et sic vix unus aut alter vicarius Gesecæ resideret, ecclesia semper vacua altarium et chori ministris erat. Hinc Salentinus comes Isenburgicus, archiepiscopus Coloniensis vicariatuum unionem fieri edicto mandavit, quam et ursit Gebhardus Truchsess, successor Salentini, ut videre est in diario historiæ Truchsesianæ apud Kleinsorgium, ubi expostulat Truchsess, quod ipse Gesecæ præsens inspectavit, quod ecclesia parochialis quasi plane deserta visa, cum dominico die vicarium unum, ac unum adolescentem circumeuntes hortum dominicum ac cantantes audisset, quam ob causam ludibria et joci communis plebeculæ non sine gravi religionis despectu subsecuti fuissent. Sed quod Truchsesius postmodum a fide apostata, electoratu ac diœcesis imperio cedere jussus, executionem successori reliquit, qui fuit serenissimus Bavariæ dux Ernestus. Hujus archiepiscopali jussu, unio redituum instituta est, ut sic tum possidentes eo magis in propria ecclesia astringerentur, tum scholarum rectores juventuti eo diligentius intenderent, qua propter unitis aliis, reservavit huic ecclesiæ pastorem cum duobus vicariis.

Huic olim parochiæ subjecta et postmodum unita fuerunt Burschopia, Stalpe, Velmede, Holthusten, Stockheim, Wintheim, Heringhausen, Hüstede. Hisce omnibus sive villis sive pagis jam devastatis, superest Benninghusium pagus, qui in vita s. Meinwerci dicitur Bennenhusen, qui habet sacellum sub pastore domino Joachimo Linnemann fundatum ad honorem s. Annæ.

Sicut jus synodale, sic quoque tribunal præpositure Susatensis in hac ecclesia locatum est, unde antedicta Burschopia in recognitionem, dum synodus celebratur, jura synodalia exponunt. [Ex antiquissimo M. S. membrano in choro ecclesiæ s. Petri.]

Ducitur ex hac ecclesia quotannis solemnis suplicatio ad statuam B. Mariæ Virginis in Vernaburgo, miraculis claram, qui pagus ultra horæ spatium Geseca distat et est diœcesis Paderbornensis; ac in vita s. Meinwerci dicitur Vernithi; eodem die ducitur antedicta Virginis statua Vernoburgo Salipolim exinde Gesecam,[15] ubi cum summo populi applausu ad portam urbis orientalem excipitur et defertur ad ecclesiam s. Cyriaci, inde ad s. Petri basilicam, ubi decantato hymno Ambrosiano et exsolutis populi votis, reducitur ad Vernaburgi thronum, comitante clero ac senatu ad mediæ horæ ab urbe spatium, ubi inter resonantes tubas et bombardarum tonitrua, cives Gesecenses patronam salutant et dimittunt.[16]

Qua vero lege, quo jure hanc illustrem miraculis statuam e Paderbornensi ditione in Coloniensem Gesekenses deducant, hucusque non constat. Sunt, qui ex voto, sunt et, qui ex pacto sic fieri putant, quod initum inter Conradum Archiepiscopum Coloniensem et Simonem I. de Schartenberg[17] episcopum Paderbornensem, dum anno 1254 in prœliorum contentione, quæ de limitibus erat, victus, captus et a Coloniensi præsule custodiæ traditus, ac demum Wilhelmi cæsaris interventu libertati restitutus fuit, illa quidem conditione: ut pars altera tam Gesecæ, quam Salipoleos cathedræ Coloniensi, pars altera Paderbornensi subesset; ut patet ex litteris super hoc Essendiæ confectis; quas citat Joannes Velde.[18] Hinc sunt, qui putant, quod in recognitionem dominii Paderbornensis, hanc ab illo seculo supplicationem Geseca instituerit ex illa ecclesia ad illustrem Vernaburgæ virginis statuam quotannis celebrandam, quæ ex pacto ecclesiæ Paderbornensi cesserat.

---

15) Ueber Upsprunge nach Geseke, sagt die deutsche Uebersetzung. — 16) Eine hier folgende poetische Apostrophe an das Gnadenbild zu Verne, ohne geschichtlichen Inhalt, schien für die Quellen überflüssig. — 17) Bischof Simon I. war ein geborner Edelherr von der Lippe. — 18) Die Urk. ist v. 20. August 1256 und abgedruckt in Seibertz Urk. Buch I. Nr. 297.

## Caput quartum.

### Quomodo fundatum collegium Canonissarum.

Jam florebat in patria canonissarum prænobilium status, quem Ludovicus pius anno 816 Aquisgrani in patrum concilio instituerat, jam pro Bodeca sua beatus Meinolphus confirmationem a Ludovico pio impetrarat, jam Luithardus episcopus Paderbornensis, fundante sorore sua, Herisiense Collegium approbarat, etiam Haholdini comites non passi zelum suum teneri, castrum suum Geseke ad honorem beatæ Mariæ virginis et s. Cyriaci martyris in claustrum virginum mutant, dotant, et Wicburgim sororem suam abbatissam constituunt anno 949. [Ita Stangefolius L. 2. annal. qui ita se habere fatetur ex litteris archivii Gesecensis per Joanem Müntefering notarium juratum.] [19]) Alii primam abbatissam ponunt Hildegundem. Anno Ottonis imperatoris 12mo Hoholdt nobilis de Aneholdt cum fratribus suis Brun et Frederic et sorore sua monasterium Geseke in oppido suo fundaverunt, in honorem beatæ genitricis Dei et sancti Cyriaci martyris, quod postea per Ottonem III. ditatum et in potestatem regiam et tutelam acceptum et Wicburg abbatissa constituta. [Ita Henricus de Hervordia in bibliotheca Dalheimensi.]

Comes Haholdt et soror sua Wichburg, patruus ejus Fredericus ejusque pater Bernardus, et Hildegundis abatissa, ob remedium animarum suarum, ex proprietatibus suis condiderunt ecclesiam seu congregationem in Geseke, et incipientes tempore Brunonis I., archiepiscopi Coloniensis, ad nos usque perduxerunt, semper libero usi arbitrio, sicuti propria possidentes. Ita privilegium s. Heriberti archiepiscopi Coloniensis de anno 1014. [20]) Illa pars Westphaliæ, in qua Geseke est, adjecta est ditioni Coloniensi tempore Brunonis archiepiscopi, in qua Otto rex exstruxerat monasterium. [Ita chronicon Coloniense fol. 134.]

---

19) Vergl. d. Urk. Otto's I. v. 952 in Seibertz Urk. Buche I. Nr. 8. — 20) Seibertz U. B. I. Nr. 23.

Quod hic dicitur exstructum ab Ottone monasterium, est contra annales. Hoc vero constat, quod Otto I. hoc monasterium privilegiis donavit, ut habet Kleinsorgius fol. 74, ut patet ex diplomate dato in Walahusun anno 952.[21]) Deinde ex diplomate dato Paderbornæ: in quo Otto rex sanctimonialibus, in proprium donavit quidquid malhure in Gisici marca habuit. Actum Patherbrunon. [Ex antiquis schedis, monumentis Paderborn. et Stangefolius.][22])

Patet item ex privilegio dato anno 984 ab imperatore Ottone, interventu s. Henrici Bavororum ducis, in quo conceditur libera electio personæ idoneæ in abbatissam et ne quis judex sæcularis jurisdictionem in monasterium ipsum usurparet.[23]) Asservat haec ecclesia penes se reliquias s. Cyriaci martyris, quas putant quidam Gesecam delatas a Brunone archiepiscopo coloniensi, qui idem s. Patrocli martyris ossa tulit Susatum.

Abatissa prænobilis hujus Collegii, jus habet conferendi pastoratum ecclesiæ s. Petri, ut patet ex privilegio: Ego peccator Anno archiepiscopus servus servorum Dei, miserans inopiam sacri cœnobii, quod est in Geseke, suadente Hattwiga abbatissa ejusdem loci, contrado ad ecclesiam s. Cyriaci, baptismalem id est matrem ecclesiam ejusdem villæ. Actum anno 1074.[24])

Hoc diploma successor Annonis Hildolfus archiepiscopus confirmavit ac renovavit anno 1078. 9. calend. febr. in Recklinghausen, [ex archivio Arnsbergensi].[25]) In ecclesiam hanc ab initio tantum collegiatam, Henricus II. archiepiscopus Coloniensis, Susati residens, anno 1317 jus parochiale contulit ac Baptismi fontem concessit, ut et ab illo tempore:

Divisum imperium cum Jove Cæsar habet.

---

21) Vergleiche Note 17. — 22) Vergl. Note 4. — 23) Die Urk. ist von 985. Seibertz a. O. I. Nr. 15. — 24) Die Urkunde ist abgedruckt in Seibertz Urk. Buch I. Nr. 28. — 25) Abgedr. daselbst, I. Nr. 32.

Pars altera parœciæ s. Petro, pars altera s. Cyriaco cessit, ut ex archivio Arnsbergensi annotavit consultissimus et clarissimus dominus Bernardus Witte, juris licentiatus et consul Gesecæ.

Anno 1587. 25. Junii dum sub archiepiscopo Coloniensi Ernesto Bavarorum duce, unioni redituum Gesecæ serio insudatum fuit, cepit hæc ecclesia (s. Cyriaci) habere certum sacellanum, qui parœciæ assignatæ curam ageret; huic sacellano in partitione obvenerunt reditus altarium s. Annæ et s. Mariæ, Frühmesse, cum ædibus beneficii s. Joannis sub turri homiliarii seu diaconi, postmodum des Capellans Hoff dictis. Has sacellani ædes anno 1597 construxit Joannes Grotthauss provisor ecclesiæ.

Cæterum cepit hæc ecclesia maxime florere et quasi a fundamentis reparata enitere, sub admodum reverendo domino Jodoco Koppenradt, qui ecclesiæ hujus acerrimus defensor, privilegia, quæ nunquam habuit, quo unquam modo potuit, acquisivit, auxit, conservavit. Is primus ursit titulum pastoris in hac ecclesia. Constat enim ex litteris, quod prædecessores non ultra sacellanos egerint, ut patet ex libris admodum reverendi domini Joachimi Linnemann, qui prænotantur titulo sacellani ad s. Cyriacum. Ex epistola quadam admodum reverendi domini Liborii Soestmann qui se scripsit vicecuratum. Ex litteris admodum reverendi domini Joannis Kramer professi in Bödeken, cui sat erat, quod sacellanus esset. Constat etiam ex annotationibus ipsius dicti domini Joachimi Linnemann, in quibus sic habetur: sacellanus ad s. Cyriacum non habet titulum seu formalem collationem, sed arrha assumitur, nisi quod uni vel alteri perpetuatio sit promissa. Item in unione Ernestina erecta 1587, ab archiepiscopo Ernesto tantum tribuitur titulus sacellani. Item in ordinatione processionis Vernensis ab archiepiscopo Ferdinando facta.[26]) Legitur in antiquissimo quodam M. S. mem-

---

26) Der Satz: Item — facta fehlt in A.

brano codice chori in ecclesia s. Petri, quod ex pacto divisionis parochiarum, reliquiæ s. Cyriaci ipso dedicationis die ad s. Petri ecclesiam, comitantibus canonicis et canonissis deferri debeant, nimirum in recognitionem matris ecclesiæ. Sed laudatissima haec majorum pietas jam effloruit et nihil post se reliquit nisi tricas, quas in matrem ecclesiam filia movet, præsertim post obitum domini Joachimi Linnemann pastoris ad s. Petrum.

Cautum fuit in divisione parœciarum ut non nisi in ecclesia s. Petri omnibus totius civitatis defunctis campanarum usus adhiberetur, nimirum in signum juris et praeèminentiae. Sed sub domino Jodoco Koppenradt jus simultaneum in defunctos s. Cyriaci ecclesia sibi arrogavit, unde et campanarum pulsus pro defunctis adhiberi cepit.

In ipsa s. Cyriaci ecclesia primum et superius stallum est pastoris ad s. Petrum, olim in processionibus habuit suum locum juxta abbatissam; nunc autem primum prae aliis sacerdotibus, in publicis conventibus et processionibus. Ast haec praeèminentia, quod publicas sæpe tricas excitavit, jam cessat, ita ut jam quisque pastor in sua parœcia præemineat.

Quod igitur haec ecclesia adeo reflorere ceperit in acceptis referre debet saepe dicto domino Jodoco Koppenradt; meruit igitur zelus ac indefessus viri labor pro domo Domini, pastoris titulo honorari; obiit anno 1693 mense Septembri[27]) de ecclesia sua optime meritus.

## Caput quintum.

### De industria ac labore incolarum Gesecæ.

Est sane hic locus, ubi sudat Adam, ubi non nisi labori omnia Dii vendunt. Indicat hoc loci situs; neque enim hollandos in plateis nitores, nec delicias venetas offendes, quin potius congestos ex Caballino bubuloque fimo aggeres,

---

27) quarta Octobris B.

quos certo annì tempore incolae loci plaustris impositos urbe educunt in agros, exinde saginandos. Unde ajit Virgilius L. 2. Georg.:

Fundit humo facilem victum justissima tellus

Hinc labor, hinc sudor et certe qui Gesecae non laborat, non manducat:

Inde genus durum sumus, experiensque laborum
Et documenta damus qua simus origine nati.

Ferendis scilicet laboribus natum est genus humanum,[28] dura quidem lex, sed ad virtutem et industriam exacuendam necessaria. Virgilius bene L. 1. Georg.

— — — – Pater ipse colendi
Haud facilem esse viam voluit; primusque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda,
Nec torpere gravi passus sua regna veterno.

Certe non invenies Gesecae Sybaritas, qui populus adeo desidia torpebat, ut eorum aliquis, cum aliquando videret fodientes in agro colonos, animo deficeret; tantus hominem laboris horror invaserat; imo nullum hic populus opificium in suam civitatem admittebat, quod cum strepitu exercetur, adeo ne quidem gallum gallinaceum fas erat alere, ne quid esset, quod somnum interrumperet, ut habet Athenaeus L. 2. Ad Gesecae nostrae in laudem cedit, quod Hermannus Mattenkloidt judex Gesecensis scriptis suis inseruit:

In Geseca durae posuere cubilia curae,
Divite fimetis regnat in urbe Ceres,
Si vis esse civis fortunae divitis heres,
Multos sudores otia nulla feres.

Hinc incolæ moniti loco habent, quod ait Siracides c. 7. non oderis laboriosa opera et rusticationem creatam ab altissimo. Seu musis igitur seu Marti, aliisve manuum studiis

28) Die deutsche Uebersetzung gibt dieses Axiom durch die etwas rhetorischere Phrase wieder: Das menschliche Geschlecht ist geboren zur Arbeit, wie der Esel zum Sacktragen. Die im Text folgende Stelle aus Virgils Georgica ist ebenfalls mit humoristischer Freiheit übertragen und erinnert abermals an den Esel. Sie sagt, der Vater greift zum Pflug und zeigt dem Sohne * Wie man sich üben soll mit Müh' und Fleiß. * Die Faulheit bringt uns Disteln nur zum Lohne * Und diese sind für uns doch herbe Speis.

insudandum sit, semper Gesecos paratos, industriosque ad labores invenies.

## Caput sextum.

### De animositate Gesekensium et iteratis contra hostes victoriis.

Non inani titulo in publicis Gesekensium titulis scribitur: Die Manhaffte van Geseke.

Ad portam urbis occidentalem traballi olim[29] caractere saxo incisum fuit: Wan der Churfürst von Cöllen unser gnädigster Herr sich nirgends verbergen kann, haec civitas illi refugium esto. — Tanta erat Gesekensium audacia tempore Truchsesii, quem illi electoratu Coloniensi amotum profugum defensuri, quasi jurati in fortunam ac vitam officiis prosecuti sunt. Jam vero extincto hoc audaci symbolo modestius legitur: Felix civitas, quae tempore pacis de bello cogitat. Nimirum: Percussi bello, bella futura timent.

Anno 1254 Conradus de Hochstadt archiepiscopus Coloniensis Simoni de Schartenberg[30] Paderbornensium episcopo inhibiturus, ne castrum Vilisi prope Saltzkottenam communiret, praesidia militaria Gesecae imposuit, quae Paderbornensibus fortiter restiterunt ac ipse episcopus cessit in victoriam Coloniensibus, traditus archiepiscopo in custodiam. [Ex bibliotheca Bœdecensi.]

Anno 1326 cum jam multis annis dissidia ac lites inter castrenses et civitates ducatus Westphaliae, quae sunt Brilonia, Geseca, Ruthena, Martismons, tandem Gesecae pax burgensis inita ac confirmata fuit. [Ita M. S. Bœdecensia et Kleinsorgius in chronico.][31]

Anno 1410 Gravis dissensio inter archiepiscopum Coloniensem .Fridericum et Wilhelmum de Monte Episcopum

---

29) D. h. zur Zeit des Abfalls vom Erzbischof Truchses, wo die großen Buchstaben an der Westpforte eingehauen wurden. Randbemerkung in B. — 30) S. Note 17 und 18. — 31) Der Landfriede von 1326 unter den Burgmännern und Städten Westfalens ist abgedruckt in Seibertz Urk. Buche II. Nr. 615. Daß er zu Geseke abgeschlossen worden, geht nicht daraus hervor.

Paderbornensem exorta, animos primo deinde manus principum ad arma movit. Colonienses irruptione facta in Dellbrugiam, cladem primo passi sunt, fortius deinde steterunt Gesecæ, praesidio confisi. [M. S. Bœdecensia.]

Anno 1412. Castrenses quidam confoederati Paderbornensium partes acturi, facta irruptione in agrum Gesecensem, ovium inde armenta spolio subducere nitebantur, intercepti a Gesekensibus, captivi Gesecam deducti sunt; quos inter comes de Nassau praepositus Monasteriensis, ut videri potest in litteris relaxationis, in archivio curiae Gesekensis, Johann von Plettenberg miles, Hinricus de Lansberg, Ernestus von Schnellenberg, Hermann von Cobbenrodt, Cordt Raddeberg, Johann Kregge, Henrich de Plettenberg, Henrich Frey, Johann & Henrich fratres de Heye, Wilhelm Vaget de Elpeke,[32]) Hermann von Lettmete etc. dimissi tandem sunt, facto juramento, de nulla post hac hostilitate in agro Gesekensi exercenda.

Anno 1415. Cum inter Paderbornenses et Colonienses in causa limitum dissensio esset, Paderbornenses Gesekensium fines aggressi, direptiones armentorum moliebantur duce Bernardo de Hœrde nobili in castro Boca ad Luppiam. Gesekenses pro more suo, viriliter sua defensuri, hostibus prope quercum, qui in hodiernum diem vocatur die hollede Eycke, qua euntibus Saltzkottenam via est, animose obvii et facto cum Paderbornensibus prœlio, de quadringentis quinquaginta caesis Gesekenses triumpharunt, nam hostes prodigio cœlitus inmisso territi, fugae terga verterunt.[33]) Comparuit namque s. Cyriacus martyr diaconus, tamquam miles cataphractus niveo insidens equo, quasi Gesekenses suos defensurus. [Ex publicis tabulis urbis Gesecae annotationibus Joannis de Fordt tum consulis ibidem, quae asservantur in curia Gesekensi, et ex quodam antiquo Missali

---

32) Voigt von Elspe. — 33) Vielleicht sollen sich hierauf die in unserem Urk Buche II. S. 480 Note 523 mitgetheilten Verse beziehen; wiewohl diese das Ereigniß ins Jahr 1315 setzen.

ecclesiae s. Petri.] In M. S. Hermanni Maltenkloidt, judicis Gesecae, inter ceteros reperiuntur hi versus:

Nube sub augusta niveis victoria signis
Adfuit et viso signa sub ense dedit.
Hic fugat, hi fugiunt, Geseci stetere triumphi
Divi Cyriaci Martyris auspicio.

Unde hodiedum in collegiata Gesecae ecclesia visitur s. Cyriacus tanquam miles cataphractus, in antiquissimis statuis ac picturis.

Ut igitur Gesekenses Deo optimo maximo et s. Cyriaco martyri, tutelari patrono, grates rependerent, ac serae posteritati datam cœlitus victoriam commendarent, facto annuo voto solennem quotannis supplicationem extra urbis muros instituerunt, in qua et reliquiae Patroni circumferuntur. [34])

Anno 1470. Sub archiepiscopo Coloniensi Roberto, Conradum nobilem de Patberg Gesekenses captivum detinuerunt, ut videtur ex litteris ab archiepiscopo ad senatum Gesekensem datis in Poppelsdorf anno 1471, quibus demandatur senatui Gesekensi, ne Patbergianum dimittant. Visitur hodiedum intra urbis mœnia, prope Orientis portam, carcer subterraneus et turris eminentior, quae Patbergiana appellatur, quem putant quidam in pretium relaxationis ab antedicto Patbergiano exstructum et inde traxisse nomen.

Anno 1532. Cum in Hermannum de Weida archiepiscopum Coloniensem administratio diœcesis Paderbornensis electione devolveretur, dissensionem communis plebeculae ac seditionem Paderborna sensit, unde occlusis per aliquot dies portis, aditus nulli nec exitus patebat; tandem jussu archiepiscopi Gesekenses evocati, ut duce archiquaestore Padibornam occuparent. Audito Gesekensium adventu, reclusis portarum repagulis, sedata est parumper seditio. [M. S. Bœdecensia.] Unde prioris aevi versus:

---

34) Eine begeisterte Apotheose des friedlichen Diacons Cyriacus als Kürassier der himmlischen Heerschaaren, im Lapidarstyl mit Versen, welche im Texte folgt, übergehen wir, ohne Nachtheil für die Geschichte.

Beleka Susatum, Padibornam Geseca sedat,
Sedat, quas fundit Padra rebellis aquas!

Anno 1621. Dum profligato Palatino, Bohemia in fidem Ferdinandi Caesaris redit, Westphalia fidem violans, ducem Brunswicensem Christianum, novum caesaris hostem, palatini partes acturum, in imperium dimittit, ut ait Lotichius L. 10. C. 6. Furiosus igitur hic hostis per Saxoniam, Westphaliamque collecta haud spernenda manu, per Hassiam facto itinere, palatinatum petit mense Octobri, Mansfeldio opem laturus. Facta igitur in Moguntinam diœcesin irruptione, caedes colonis, pagis ignes, urbibus, arcibus demolitiones, vineis, agris devastationem intulit; sed inde adventante Anhaltio comite fugatus, in Westphaliam deflexit; Paderbornensem, Monasteriensem et Coloniensem diœceses omni cladium genere devastans.

Anno 1622. 2. Jan. Christianus dux Lippolim occupat, ipsis civibus hispanicum praesidium prodentibus. Eodem anno 4. jan. missis Gesekenam minacibus litteris hyberna postulat; sed 15ta jan. numeratis 1500 imperialibus inimicos hosce hospites Geseca alio divertit; attamen non longo post tempore, immemor bellici census, quem Geseci numeraverant, contra litteras et pacta [ut videre est in archivio Gesekensis curiae] dux Brunswicensis trecentos circiter de exercitu suo armatos, urbem Gesecam inopinata irruptione invadere jussit, qui praedas, caedes, ignesque comminati, tandem superveniente Coloniensi exercitu, 5. Martii fugati ex Geseca caesique sunt. Eeodem 23. jan. Susatum ac dein 29. jan. Paderbornam Brunswicenses intercipiunt, ubi dum Christiano duci omnia ad nutum fluunt, Judaeorum bonis Paderbornae publicatis, mulctatis ingenti pecunia canonicis, expilatis hinc inde civium aedibus, ablato ingenti reconditorio ossium s. Liborii episcopi, aliisque pretiosis fidelium donariis ornamentisque, temeraria manu ex summa aede surreptis, ac in monetam cum ista inscriptione: Gottes Freund, der Pfaffen Feind[35]) conflari jussis, memor cladis

---

35) cum ista – Feind, fehlt in A.

istius, quam quidam ex suis non ita dudum in Geseca passi erant, eamque indignabunde ferens, fugam suorum caedemque ulturus, eodem anno 5. Aprilis die Gesecam obsidere cepit, adductis Neuhusio tormentis bellicis, urbemque graviter premere. Sed Gesekenses more suo generosi, sub duce ac heroico viro Theodoro Othmaro von Erwitte hostium insultus aliquoties repulerunt; imo inter ipsas portarum angustias, quas hostis jam ferme occupaverat, ad 1200 de Brunswicensibus, tum pedites tum equites, omnino contriti fuerunt. Superest hodiedum militaris aries in ecclesia s. Petri, quem hosti in hoc conflictu ad portam, quam vocant pecuariam, abreptum, Gesekenses triumpho consecrarunt, imo nec feminis animus et audacia defuit, nam civibus militibusque sine discrimine mixtae, hae fervidam aquam, picem illac et sulphur, saxa, trabes, quaeque alia furor arma ministrabat, in oppugnantes devolvebant, imo de cœlo dimicatum est contra eos. Stellae manentes in ordine suo adversus Sisaram pugnaverunt. judic. 5. v. 20. Contra Amorrhaeos Deus armavit elementa Josue 10. Cœlo non intermissa tempestate et imbribus, adversus hostem militante. judic. 7.

12ma tandem Aprilis die, Brunswicensis dux obsidionem solvere coactus, ingentem suorum jacturam passus, recessit[36]) ex metu comitis Anholti et Henrici Bergii, quos ex palatinatu cum expedito milite Ferdinandus archiepiscopus Coloniensis evocaverat, ut Brunswicensem ditionibus suis excuterent. Stante hac obsidione Theodorus Otmarus dux perdidit ex suis 6, Geseka ex suis nec ullum, prout testantur M. S. Hermanni Mattenkloidt eodem tempore judicis Gesecae. De clade autem suorum ad Gesecam, quae prima fuit post ablatas Paderborna reliquias, ne quidem somniaverat dux Brunswicensis; sed

Est Deus, est scelerum vindex est poena malorum,
Unde putas minime posse venire, venit.

---

[36]) Er ist mit der langen Nase abmarchirt; sagt die deutsche Uebersetzung.

Sic igitur res Gesekensium magna gloria illustravit adauxitque tam insignis victoria, ut serae posteritati commendaretur. Votivam majorum pietas supplicationem quotannis instituit tertia post resurrectionem dominicam, martis die, circum urbis mœnia solennissime celebrandam, ad 3 portas, quos Brunswicenses fortius oppugnaverant. Clerus ad populum perorat, monetque ad gratias Deo patronisque tutelaribus, pro tam insigni victoria agendas atque opem divinam ulterius implorandam excitat. Finito ad populum sermone concionis, praeses precum suffragia pro iis exigit, qui obsidionis tempore, ob patriam pugnando vulnera passi, et fit praecipue mentio de piae aeternaeque memoriae viro duce Theodoro Othmaro von Erwete.[37] Ut Ovid. Epist. ad Liviam canit:

Facta ducis vivent operosaque gloria rerum.

Dux igitur Brunswicensis deserta Geseca, Visurgi apud Huxariam transmissa, minacibus ad Herbipolensem episcopum exaratis litteris, in Eichsfeldiam Moguntino subditam movit, eamque dirum in modum depopulatus, ingentem pecuniae summam corrasit, unde exercitum in obsidione Gesekensi debilitatum reficeret, sed cum incautus dux omnia belli[38] agi putaret, in victorem Tyllium incidit, ubi congressu facto, fusus memorabili praelio 2da Junii die, amissis suorum ad minimum quatuor millibus, impedimenta et currus omnes in Tyllianam potestatem venerunt, cum machinis muralibus quas Neuhusio (arce Paderbornensi) Brunswicenses avexerant; dux ipse nil aliud potuit, quam vix cum Styrumio comite ad Mansfeldium Darmstadii commorantem evadere. Tandem apud Floriacum paucis post mensibus vindex numen experitur, dum brachium, quo thesaurum Paderbornensis ecclesiae abstulerat, perdidit.

---

37) Wegen Othmar v. Erwitte ist schon oben S. 249, Note 28 auf Seibertz Dynastengeschichte S. 378 verwiesen worden. Herzog Christian v. Braunschweig, postulirter Bischof zu Halberstadt, führte bekanntlich den Beinamen: der Tolle und in Geseke wird auch der im Texte beschriebene festliche Tag, der tolle Tag (Dulledag) genannt. — 38) belli fehlt in B.

Anno 1623. 6. Aug. ad Stadtloum Westphaliae vicum Tylliano marte omnino profligatus, caesis suorum 5000, captis 6000, Embricae invisit Collegium societatis Jesu, cum multo nobilium comitatu, ubi salutatis humaniter religiosis, ingenue inter alia fassus est, omnes clades sibi obvenisse ob s. Liborii contemptum, ablatasque Paderbornae reliquias. Si bonum illum senem requiescere sinissemus, feliciter pugnassemus. (Bollandus in notis ad vitam s. Liborii seorsim editis.) Anno 1624 in Germania omnia pacata et quieta fuerunt, exactis et debellatis Brunswicensi et Mansfeldio.

Annus 1626 felix toti Westphaliae illuxit, dum caeso apud arcem Lutheram Dano in diœcesi Brunswicensi, apud Dessawiam Mansfeldio, compulso ad pacem Bethlenio, liberata Ungaria, sedatis in Austria rusticis, sedata Westphalia, tribus infensissimis Caesari hostibus: Ernesto Mansfeldio, Christiano Brunswicensi 16 junii, Ernesto Wimariensi, quasi facta fatorum in hostes conspiratione, morte sublatis. Sed vix pax illa biennis fuit, nam dum Ferdinandus caesar anno 1628 edictum restitutionis bonorum ecclesiasticorum, quae post transactionem Passaviensem anno 1555 contra imperii decreta adempta erant, cum summo protestantium terrore, per omnes imperii fines publicari juberet, turbatis omnium animis et divisa iterum in factiones Germania, litteris primo scriptisque, ac dein animis et ferro decertari ceptum est. Hoc novum bellum, nova prodigia futurum indicarunt, nam anno 1629 visae sunt Gesecae et passim per Westphaliam in cœlo acies infestis inter se signis depugnare; auditi in aëre curruum strepitus. (Ex relatione cujusdam viri senatoris Gesekensis et ex Lotichio L. 29.)

Hinc Geseca nostra cepit de bello cogitare, quod mox erupit, dum Ferdinando caesare Ratisbonae comitia celebrante, rex Sueciae Gustavus Adolphus aperto marte imperium ingreditur, (Chemnit. L. 1. c. 12) et hujus belli furias etiam sensit Geseca nostra, etiam more suo fortiter stetit.

Dum anno 1648 Lambojus copiarum circuli Westphaici dux, commisso apud Gesecam prœlio Ernestum Land-

gravium Hassiae capit caeditque, ac deïnde oppugnationem Gesecae, in quam se aliquot legiones Hassiacae ex fuga receperant, 17 Martii exorsus; sed alieno tempore et diebus, continua imbrium tempestate fœdis et adeo solo lubrico, ut vix Lambojus castra figere potuerit. Igitur post 12 dierum obsidionem, post crebra intra urbem domorum incendia, quae tormentis suis igniariis Lambojus excitaverat, cum insigni suorum clade et ab hostibus Hassis et ab amicis Gesekensibus repellitur, obsidionem solvere coactus. [Ita littera Gesekensium. Brachelius L. 7 fol. 123. Stangefolius L. 4. annal.] Unde versus inter M. S. admodum reverendi domini Joachimi Linnemann inventi:

Hassum persequitur victor Lambojus, at Hassus
In Gesecam fugiens, tutus ab hoste fugit
Quodsi præsidia Gesecæ sic Hasse foveris
Quid struis hostiles sæpius Hasse dolos?
Quam nostros intra committet fortia muros
Proelia, qui nostris hostibus hostis erit.

Hac igitur belli tempestate, suos ex indigenis civibus duces, suos capitaneos ac praefectos urbs Geseca habuit, quorum generoso ductu senexque juvenisque populus ad arma, ad muros, ad patriae defensionem excitatus fuit, quod vero capitaneus unus dictus fuit: capitain Miserere inde est, quod quandocunque ad muros eundum, ingeminaverit: Miserere mei deus; quod alter duc de Sprick, fuerat is macilentus, sed magni vir animi; Alter: capitain tremens, fuerat is chyragra ac tremore articulorum praepeditus, sed expeditissimus consilio. Sic solebat in Gesekenses jocari admodum reverendus dominus Joannes Wrede pastor in Störmede. Sint hi, sint joci, interim Geseca nostra, seu toga seu sago velis, omni aevo insignes viros tulit. Patet hoc es epistola quadam, quam litterarum quidam Paderbornae candidatus, ad praefectum urbis Reinbercae scripsit:

Ille ego palladios inter studiosus alumnos,
Ut mea verba legas, dux generose rogo.
Arma peto, arma volo, sic Martis anhelat ad arma
Mens, ut me natum Martis ad arma putem.

Dux generose fave, castris mea nomina scribe,
Martius ebullit, sanguis ad arma vocat.
Arma volo, volo castra sequi, magis utile nil est,
Quam ductu Martis mortis adire viam.
Quo me cunque vocas ad campum ardentius ibo.
Non tamen ibo pedes, dux generose, scias
Quod ne fiat, equus castrensibus utilis armis
Aedibus e patriis abripiendus erit.
Ille et ego juncti terraque marique sodales
Pro duce pro patria mortis adimus iter.
Salve, vive, vale, semper generosus in armis
Vive triumphales Dux generose dies.

Quod optat, qui est vester servus
Dabam Gesecæ 21 Aprilis 1644. Gerlacus Buck.

Responsio Capitanei.

Nuper ut in nostris lecta est tua littera castris
Visa est ignito littera scripta stylo,
Ut verum fatear, spirabat littera Martem,
Spirabat fortem Martis ad arma virum.
Et novi Gesecos, et fortia pectora novi,
Quos celebrat fortes publica fama viros.
Mars Brunswicensis, Gesecæ dum mœnia pressit
Pugnavere viri, perstiteruntque viri.
Mens generosa placet: similem te Martis alumnum,
Te memorat, similem littera missa virum.
Ad nos Reinbercam propera non absque caballo
Aedibus e patriis qui rapiendus erit.
Non post hæc disces Musarum inglorius artes
Nostra tibi dabimus signa aquilasque sequi.

Signat. Reinbercæ Capitaneus Joannes Philippus
29. Aprilis 1644. von Roringhausen.

Anno 1674. Cum serenissimus elector Coloniensis Maximilianus Henricus partes Ludovici Galliarum regis contra Batavos et imperium ageret, Lotharingi, qui Cæsareanis aderant, Gesecam nullo præsidio firmatam intercepturi, hoc cum astu fieri non posset, minacibus verbis in urbem admitti postulantes, usque fortiter a civibus rejiciuntur; donec comes de Lippia copiarum Coloniensium dux, in præsidium Gesecae Arensberga vocatus, inopino Lotharingas adventu partim in

leprosorio extra urbis occidentalis muros, tum in lapifodina ad portam saxeam deprehensos obruit, caedit, capit, fugavit.

## Caput septimum.

### Geseca aliquoties hostibus in spolium cessit.

Non semper victoria; vertitur aliquando belli alea et nigros calculos exhibet. Hoc Troja sensit, Roma experta est, nec Gesecae nostrae male vertendum, quod sinistro Marte interdum pugnaverit, aut hostium insultu direpta sit.

Anno 1120 cum Fridericus comes de Arnsberg, homo ferocissimus, qui bello impetiit Fridericum archiepiscopum Coloniensem, castrum Wewelsburg, quod 3 fere horis Geseka distat, instaurasset, praedas exinde egit in diœcesi Coloniensi, et certe Gesecae nostrae parcitum non fuit ut constat ex antiquissimis M. S. Bœdecensibus Gobelino Person aetate 6. C. 48. Gelen. in Engelberto L. 3. C. 42.

Anno 1591. Comes Ebersteinius exercitus Batavici dux, Coloniensem dioecesin hostili Marte turbavit, urbem Gesecam 1. jan. die aggressus, in eadem pernoctare flagitat; at cives primo fortiter reluctati, tandem cesserunt postulanti Ebersteinio, sancte pollicitanti nihil mali a se aut a suo exercitu exspectandum, inducitur promissis male suada civitas, admittit hospites ad quater mille Batavos tum pedites, tum equites. Sed vix comes urbem ingressus, polliciti mox immemor, liberam cuivis militi quidvis audendi copiam fecit, tum ut ait Seneca: scelera dempto fine, per cunctas domus ière, nullum caruit exemplo nefas; hinc expilata mox templa, violata altaria, fontes baptismales utriusque ecclesiae fœdum in modum conspurcati, et ut canit Lucanus:

> Stat cruor in templis, multaque rubentia cæde
> Lubrica saxa madent: nulli sua profuit aetas.

Cuivis militi taxandi suum hospitem facta licentia, quae demum taxa excurrit ad 20 millia florenorum. Cives qui solvendo esse non poterant, partim lento igne tosti, partim fumo suffocati, aliisque tormentis ad necem consumpti sunt, defloratae virgines, praegnantes feminae in summis angu-

stiis ad mortem oppressae, atque ita catholici nominis odio saevitum est sine discrimine in viros, in feminas, in pueros. Haec talia militaris licentiae scelera inter continuas insontium caedes patrata, amplam materiam ad seras lacrymas posteritati dederunt, dum tot civitatis privilegia et litterarum monumenta, flammis partim absumpta, partim insolenter dilacerata perierunt. Erant quidem turbulento hoc tempore milites praesidiarii de exercitu Coloniensi in Geseca, sub praefecto Joanne Hessen generosae mentis viro, sed admodum pauci, qui tum fuga salutem quaesierant, tum latebris se absconderant. Deprehensus unus, qui post varia exanthlata tormenta, ad locum fatalem deductus infelicis ligni in foro Gesecensi futurus appendix, at rupto binis vicibus resti superis faventibus salvus evasit. [Ex M. S. Hermanni Mattenkloidt illo tempore judicis in Geseca.]

Haec dum Gesecae aguntur, vicinis urbibus timor injicitur suosque mittunt legatos principes ac domini, hoc ut malum a se suisque rejiciant. Aderant Gesecae ex urbe Paderbornensi e Cathedrali capitulo legati, reverendissimi domini Walterus de Brabeck praepositus, Jodocus de Kalenberg, Wernerus et David de Spiegel, Henricus Westphalen, Hunoldus de Plettenberg et patriae tranquillitatem 11 mille imperialibus 11 jan. expensis redemerunt. Aderant ex urbe Monasteriensi reverendissimi domini Joannes de Vehlen, Bernardus de Westerholt praepositus ad s. Mauritium, dominus Bispink thesaurarius Monasteriensis et 14 mille florenos Brabantiae comiti expenderunt. Aderant ex Hassia, Julia etc. cum donariis legati. Tandem Ebersteinius discessit in Belgium, raptis captisque ditissimus. Quis vero hasce furias in patriam excitaverit, non est necessum ut scribatur, notissimus est non longe a Geseca Aeolus[39]) ille, cui hodiedum justissima Nemesis os oppilavit, vix enim respirat.

Traballi olim caractere ad parietes ecclesiae s. Petri Gesecae excidii Ebersteiniani series descripta legebatur:

---

39) Dolus, B. Die deutsche Uebersetzung fügt hinzu: Es soll ein gewisser Bernhard v. Hörde von Boke an der Lippe gewesen sein.

Als man schrieb fünffzehenhundert neuntzig und Ein
Jener Graff genandt Eberstein
Aus Holland mit vier tausend staaten diese Stadt
Ganze vierzehen Tage lang occupiret hat,
Geplündert, beraubet, gantz außgezehret,
Mit Marter und Pein geschlagen beschweret,
Gefangen, geschunnen,[40]) woll noch 20,000 Cron
Abgenöthigt ohn alleiniger Rantzion.
Daß nun dieses Elend, Jammer und Verderben,
Dafür mancher lieber kieß zu sterben,
Von Gott, wie sonst in aller Frist,
Umb Sünden nur elendige Verderbung ist;
Daß soll man gedenken, wann's wieder geschicht,
Auch unvergessen sein Gottes strenge Gericht.
Sein Wordt und Gebott in Acht halten allein,
So bleibe man desto sicher vor aller Pein. Amen.

Positum anno 1599 mense Julio.

Inter M. S. Hermanni Mattenkloidt inventi sunt sequentes versus:

PrIMa DIes annI tenebras et nVbILa spargIt
HeV sors InfaVstIs eXIIt atra VIIs.
Exiit et toti tristem denuntiat anno
Lessum, fatales quem cecinistis aves
Quas tulit e Batavûm dux Ebersteinius oris,
Quae Gesecam nostris diripuere suis.[41])

Anno 1633. Mense Julio Wilhelmus Hassiae landgravius urbem Gesecam gravi obsidione premit et per dies 8 Gesecenses, more suo, oppugnanti viriliter resistunt, sed cum spes succursus nulla uspiam emicaret ad deditionem coacti cives, praedas et ingentem pecuniae summam expendere debuerunt. [Ex litteris Gesekens.]

Nec silentio praetereundum, quod eodem anno, 29 Octobris multis testibus Gesekenae gestum in publicis hodiedum

---

40) Gespannen, B. — 41) Die deutsche Uebersetzung paraphrasirt die Form der lateinischen Zahlbuchstaben von 1591 in folgendem plattdeutschem Spruche: Als me schreif enen Klapp up der Taske M. * Mit fief Hengeln an der Flaske CCCCC. * Dann 'ne Seisse mit dem Stiel L. * Veir Andreaskrütze und 'ne Pinn XXXX. I. * Fäll bei Eberstein in Geiseke in.

tabulis legitur, visitur in Geseca in via, quam Hellweg vocant, parua ex lapidibus aedicula, in qua ad publicam venerationem statua virginis dolorosae exposita, omnibus in honore erat ac aestimatione; nec in illum dièm ullus hostium eandem deformare aut violare ausus fuerat; sed post urbem a Wilhelmo Landgravio occupatam, fuit Ludovicus Sadeler sub capitaneo Mathia Achtersen pedes, qui ceteris audentior: tentabo, inquit, si mulierem istam bombardae ictu collimare possim, quod et pertinaci rabie perfectum fuit. Nam collimato in matrem dolorasam ictu, sinistrum statuae brachium laesit; sed deus vix talia audentem insecutus, nam miles praedictus statim in amentiam versus, resupinus in terram corruens, miserandum in modum ejulavit: Sanate mulierem, honorate statuam; sed sero nimis; Hassi!

Discite justitiam moniti et non temnere Divos.

Cum diem tertium amens egisset, furiosus efflavit animam 1. Novembris. Die praedicta vero statua ad collegiatam s. Cyriaci ecclesiam delata, summa veneratione colitur, et multi multa beneficia se inde fatentur consecutos. [Ex publicis litter. et tabul. urbis Gesecae.]

Hanc dolorosae virginis statuam praenobilis domicella Clara de Linzing seniorissa et celleraria in praenobili Gesecae collegio, insigni altari plane deaurato, ex singulari in virginem dolorosam affectu honoravit.[42])

Anno 1636 saepius Geseca ab Hassorum exercitu, qui in Lipstadio praesidiarius erat, inopinato tumultu obruta, in praedam cessit. (Ita M. S. Bödecens) Anno 1638. 1. febr. Hassicae aliquot legiones Gesecam tenui praesidio firmatam, magno impetu portas effringendo, invadere conati sunt, sed ad primos insultus á praesidiariis fortiter repulsi, Hassi vero accensi vindictae cupiditate tertio assultu repetito, praenobilem dominum de Reck urbis praefectum obvium, quamvis

---

[42]) Es folgt hier im Text eine lange Trauer-Ode an die verletzte Mater Dolorosa, die für die Geschichte ohne Interesse und daher im Abdruck übergangen ist.

viriliter pugnantem, trucidarunt captisque praesidiariis et abductis consulibus urbem devastarunt.[43]) [Ex flore German. fol. 407.] Eodem impetu expilarunt templa, violarunt altaria, inter alia nec sacrilegas manus abstinuerunt a sacratissimo conditorii Eucharistici thesauro, quod summum nefas contigit in collegiata s. Cyriaci ecclesia, ubi sublata argentea capsula, sacratissimae hostiae efusae, hinc inde per chorum dispersae sunt. Hostia una major, ad cornu majoris altaris inventa, divisa et in parte fracturae ad latitudinem culmi siliginei cruenta, quae a reverendo domino Liborio Soistmann ss. theologiae licentiato, ejusdem ecclesiae pastore et Alhardo Besken, praeside Franciscanorum strictioris observantiae, praesente Anna Catharina ab Oynhausen abbatissa aliisque inspectantibus, summo honore et stupore clevata et seposita fuit. [Ita Stangefol. L. 4 annal. fol. 137 et M. S. Gesekensia.] [44])

Eodem tempore vix ulla civitas evasit in hoc Westphaliae tractu, quam Hassorum insidiae non expugnarint, nunc aperto, nunc clandestino, nunc larvato stratagemate, nam sicut catti mures invadunt a tergo, ita Hassi sive Catti eos, quibuscum negotia habent, dolose aggrediuntur, ut ait Hadrianus Junius in atlante mundi, unde enati prioris aevi versus:

Miro Hassus bello, Rüthenam vicit asello,
  Urbem Pader ove, vincitur ense Gesek,
Vincitur inducto montana Brilonia capro,
  Susatum tibia: Musicus Hassus erat.[45])
Invadunt catti pavidos a tergore mures,
  Hasse dolo vincis, vinceris, Hasse, dolo!
Nil aliud Gesecam vincit, quam martius ensis
  Nam fortes dominos fortia bella decent.

Hinc gloria magna
Veterisque manent vestigia famae.

---

43) Captisque — devastarunt fehlt in A. — 44) Eine hier folgende Elegie auf den beschriebenen argen Frevel, die übrigens nichts Geschichtliches enthält, müssen wir zur Raum-Ersparung, übergehen. — 45) Der Sinn der hier angedeuteten hessischen Kriegslisten mit dem Esel, dem Schaf, dem Ziegenbock und der Flöte, ist uns nicht bekannt.

## Caput octavum.

### Quanto in periculo fuerit Geseca tempore Truchsesii.

Jam Germaniae anilis levitas ad tibias Lutheri saltitabat, jam Lippolis exorbita deflexerat, Susatum in via iniquitatis jam pene lassatum et Padiborna titillare cepit, admissis intra urbem Christophoro Dano et Jacobo Musingo concionatore forensis ecclesiae, hi jam doctrinae seditiosae scholam erexerant, sed cum Hermannus de Weyda archiepiscopus Coloniensis anno 1530[46]) electus in episcopum Paderbornensem fuisset, is Paderbornam sua prudentia et authoritate hac peste liberavit seditiosis Luthericrepis custodiae traditis.

Anno 1536 concilium Coloniense provinciale celebratum, [pt. 10. C. 19.] canonissas saeculares in ordinem ac disciplinam, quoad fieri potest, revocari mandat; sed damnosa quid non imminuit dies? nam anno 1543 mutata prorsus mente princeps, hic alioquin prudentissimus, qua ille peste Paderbornam exemerat, hac diœcesin Coloniensem inficere nititur, advocato ad eam causam Martino Bucero e Strasburgo Bonnam, cujus suasu dum contagionem Saxonicam princeps ipse contraxisset, regis ad exemplum etiam in subditos disseminari voluit [Ex M. S. Bœdecensibus.] Jam Bonnae, Lingii, Andernaci, Kempis lues Lutherana grassari ceperat, at ubi reverendissimo capitulo mens principis innotuit, omni quo potuit modo restitit et re ad Carolum V imperatorem, tunc Wormatiis agentem delata, ac dein Romae declarata et a pontifice et Caesare in Hermannum sententia lata fuit, ut nisi cederet haeretico proposito, cederet electoratu, quod et factum anno 1546 mense Aprili et saxonici praecones in antedictis locis silere imo discedere jussi sunt. Bucerus ad Anglos rediit Tagio comite. Hermanno exauthorato, successit Adolphus archiepiscopus. Sublato igitur fomite, poterat flamma illa sopita videri, dum Adolpho et successore Salentino, diœcesin regentibus, nulli quidem haeresi figere sedem in dioecesi concessum fuit. Interim

---

46) 1536, B. Hermann wurde 1532 zum Administrator von Paderborn gewählt

tamen tempora erant pessima dum haeresi quasi Sampsonis vulpibus in vicinis confinibusque locis grassante, etiam scintillas hinc inde sparsit in diœcesin Coloniensem, quas et cepit Geseca nostra. Jam Lippolis ad Lutheri tibias saltitabat, Susatum jam deflexerat religionis orbitam, Paderbornae jam pendenti unda inambulabat, hinc et vicina Geseca claudicare didicit. Clero imprimis aspernante cœlibatum s. Petri Gesecae ecclesia Dei ministris vacante, populo ad libertatem anhelante, donec tandem Salentino ab Isenburg resignante electus Gebhardus Truchsess scintilla incendium excitavit, quod factum, dum ipse archiepiscopus futurus, a fide apostata, e Mansfeldensium stirpe ducturus comitissam et episcopus maritus Coloniensem ecclesiam recturus foret, quod ut callidius fieret simulato imprimis animo Truchsesius agit,[47]) demandat Joanni Nopelio decano ad Caesaris insulam, ut in Clerum Westphaliae inquirat, concubinarios deferat, et populi mores ad religionis normam reformet. Ecce dolus! Jubet Gesecae, ut uniantur altarium redditus, ut vicarii ibidem ad residentiam astringantur; sed zelus ille simulatus ac similis Herodiano erat: jubet Werlis pro patribus societatis Jesu excitari gymnasium juventutis informandae ac religionis conservandae causa, sed anguis latebat in herba. Patuit hoc demum anno 1580, dum Truchsesius Gesecae commoratus, praesentibus ibidem Saxoniae duce Henrico archiepiscopo Bremensi, administratore Paderbornensi, Alberto et Joanne comitibus Nassoviis aliisque magnatibus, quorum ductu ac consilio, religionis immutandae initium Truchsesius fecit Gesecae.

Tandem anno 1583. 16. Jan. latens flamma erupit, dum Truchsesii jussu Bonnae typis evulgatae litterae, quibus cuique libertas religionis permitteretur, quae indulta summo applausu accepta. Temmo et Bernardus Fridericus ab Hœrde Gerlaco Bertram, Joanni Groten aliisque Gesecae senatoribus praesentarunt et eo tandem incautos suo suasu induxerunt,

---

[47]) fecit B.

ut anno eodem 24 Jan. litteras miserint ad Truchsesium supplices, quibus Gesecenses concedi sibi petebant immutandae religionis facultatem.

Eodem anno 1 Martii senatus Gesecensis urgente Joanne Groten, Gerlaco Bertram, Petro Robertz misit Arnsbergam ex civibus legatos, qui in publicis ibidem comitiis, fidem Truchsesio datam confirmarent et se vitam ac fortunas Truchsesio tuendo impensuros declararent.

Cum igitur Truchsesius, adverteret faciles flecti civium animos 20 Martii eodem anno Ottoni von Volckmaringhausen, Joanni von Meschede, Rabano von Hanxleiden, Joanni Groten civi Gesekensi religionis immutandi causam demandavit, nimirum ut adventuros Evangelii neopraecones, ex vicinorum principum ditionibus mittendos, honestissime excipiant, ac praecipue Valentinum Schonaeum Zigenheinii in Hassia superintendentem. Is igitur Werlis 22 Martii stylo veteri, Gesecae vero tanquam apostolus Truchsesianus comparuit 25 Martii, visurus, nùm et Geseca quintum evangelium recipere vellet et quidem plures Gesecae, quam Werlis sui sectarios ac faciliores flecti invenit, scilicet venturo huic apostolo Temmo de Hœrde jam viam praepararat hoc consultore.

Scinditur incertum studia in contraria vulgus,

adeo ut jam 1 Martii ante Schonaei adventum, multi de rudi plebe Augustanam confessionem (quam vero an atra an alba, an portus an scylla esset, vix ullus sciebat, quomodo enim scirent sine praedicante?) professi se vitam ac fortunas causae Truchsesianae impensuros declarassent, ad quod potissimum promoverat plerosque civium Joannes Mattenkloidt tum Gesecae consul, qui convocatis ex senatu et plebe ad œnopolium urbis circum in mensa efformavit dixitque: Wer bei Truchseß und der Augßpurgischen Confession verpleiben wollte, der solte in den Ring stippen.

Tantum religio potuit suadere malorum!

His aliisque persuasionibus et exemplis inducta civitas, immutationem religionis acceptavit, et Schonaeo neopraeconi 30 imperiales in recognitionem annuntiatae evangelicae libertatis numerari jussit.

Hæc dum Gesecæ aguntur, Salentini comitis de Isenburg electoris resignati litteræ ad senatum dantur, quibus Truchsesii antecessor suos olim subditos paterne commonet, ne quid in præjudicium cathedralis ecclesiæ molirentur, quas litteras cum Wernerus Schlaun, tum Gesecæ judex, senatui præsentasset ac insuper dehortatus fuisset (sed prævaluit prudentiæ stulta credulitas) tantum in se civium odium concitavit, ut in curia Gesekensi præsens, gradibus deturbandus fuisset, ni quorundam subsidio manibus rebellium ereptus fuisset.

Hoc grassante tumultu, unanimi consensu conclusum ratumque fuit, Augustanam confessionem firmissime tenendam, Truchsesio electori adhaerendum, judicem Schlaun nullis rei civicae causis immiscendum, imo ut rebellem serenissimo Truchsesio denuntiandum, quod et factum; unde et Truchsesii in judicem sententia subsecuta est, ut Schlaunius custodiae traderetur; at ille, futurum subodoratus, Geseca jam discesserat, quam ob rem in facultates profugi saevitum est, quas fiscus consignavit, ut habet Michael ab Isselt de bello Coloniensi fol. 265.

Hic turbulentus rerum Gesekensium status, neopraeconi Schonaeo occasio fuit, religionis immutationi eo magis perurgendi, quem mox in finem coadjutores sortitus Henricum Lintbertum, Justum Herboldt, Cyriacum Illias, Cyriacum Rissing Gesecae vicarios, qui se plenis buccis verbi dei ministros crepabant. Rotgero T u x i o excuculato monacho, Schonaeus ecclesiam s. Petri commendarat, is cum pastor et pater maritus esse mallet, in puellae 15 annorum amplexus lasciviens, Bertam duxit; quod cum quidam ex civibus indigne ferrent, desuper in litteris anno 1583. 5. aug. datis ad Joannem Groten, qui Truchsesio a consiliis erat, conqueruntur petuntque alium sibi praedicantem substitui, nimirum scholae Hamelensis rectorem, litteras subscripserunt Johann Greve, Philippus Zumholte, Andreas Greve.

Eodem tempore iisdem furiis, quibus Arnsbergae 5 jun. expilata fuerat ecclesia Weddinghusana, saevitum est in

altaria, in Divorum imagines Gesecae, duce Joanne Kinckermann et Eberhardo von der Reck judice Werlensi Truchsesiano, qui et Werlis non secus egerat.

Sic omnia quasi belle facta Truchsesius approbat et Joanni Grotaeo civi Gesekensi a consiliis intimo, sectariorum principi, factionum duci, homini ad omnia audaci, in praestitae fidelitatis recognitionem, omnes redditus ac proventus, quos annuatim Conradus Orth von Hagen decanus ad s. Georgium Coloniae et summae aedis Canonicus presbyter, ex districtu Westphaliae percipit, assignat, quo principis sui favore, qua gratia animosior Grotaeus adeo causam Truchsesianam defendit, ut nemo magis, unus ille contra omnes acerrimus, qui in partes Truchsesii non cesserant, ille unus suo suasu in exilium egit e Geseca Schlaunium, Schwichardum Steven pastorem e Brilonia, Kleinsorgium Werlis, Rüthenae Henricum Fabritium pastorem, Joannem Rahm judicem ibidem, Arensberga archisatrapam, Eberhardum comitem de Solms, secretarium Blankenbeil aliosque complures capitulo fideles, ille unus effecit, ut Truchsesius senatui Gesecensi 30 Octobris per litteras mandaret, ne quem ordini senatorio adscriberent, aut consulatui praeficerent, nisi Augustanae confessioni addictum et causae Truchsesianae fautorem. Ille unus fuit ausus in publicis comitiis Arnsbergae habitis vociferari: Waß fragen wir nach den Räthen, wollen sie die Hölle haben, so wollen wir den Himmel haben, wann wir nun im Ertz-Stift Cöllen daß reine Evangelium nicht wollen annehmen, so werden wir es nimmer haben. Ille imploravit 10 Decembris 1583 deditque litteras ad imperii urbes Hanseaticas Augustanae confessioni addictas, in quibus, cum causae Truchsesianae paulatim diffideret, deplorat miseriam diœcesis Coloniensis petitque subsidium, quo se, quo uxores, quo liberos tueri ac defendere contra hostem possent, emisitque has litteras nomine omnium Westphaliae civitatum. Interim a tribus tantum, Geseca videlicet Brilonia et Rüthena consignatae erant, sed vix quidquam implorato hoc subsidio effecit. Tandem Truchsesius adversantibus sibi mundi monarchis, pontifice, caesare et cathedrali capitulo, recuperata Bonna,

ejecto Truchsesiano milite e Popelstorff, Bettberg, aliisque fortalitiis, captoque Carolo Truchsesii fratre, cum Agnete sua, cum Grotæo suo, aliisque sibi junctissimis fugam meditatus, valedicturus sedi ac patriæ Coloniensi, nihil inperturbatum reliquit, Gesecæ, Werlis, Rüthenæ aliisque civitatibus ac oppidis vectigalia exegit. Sed tandem, cum anno 1584 castrum Arnsberg cum comitatu ad Ernestum Bavarum per arma revolveretur, Westphaliam Truchsesius deseruit, prope arcem Hovestadt Luppiam transiturus, per diœcesin Monasteriensem ad principem Auriacum; at miles Monasteriensis viam inhibuit, quam ob rem flexit Truchsesius cum suis ad viam regiam Werlas, Unnam, Lunen transiens, quasi in Vestam Recklinghusanam Bavaro militi iturus obviam. Sed non erat is Truchsesio animus, nam apud arcem Buddenburg transmisso Luppiæ fluvio, per diœcesin Monasteriensem Zütphaniam concessurus, a Bavaro milite interceptus, non longe ab oppido Burgh et plurima ex parte fusus fuit; vix ipse Truchsesius effugere potuit. Excessit ergo, erupit, evasit et victoriam successori reliquit, qui erat serenissimus Bavariæ dux Ernestus.

## Caput nonum.

### Quam provide Geseca fuerit liberata ab Ernesto archiepiscopo Coloniensi.

Igitur quod Truchsesius causæ suæ nimium fisus, nummis inscidi fecerat symbolum: tandem bona causa triumphat, id certe Ernesto Bavaro successori victoriam præsagiit et Gesekensium animos, tam olim Truchsesianos, alio inflexit, dum audito, quod Recklinghusium occupatum, quod Werla liberata, quod serenissimus elector Ernestus per civitates ac oppida Westphaliæ juramenta exigat, in rebelles capitulo cathedrali inquirat, exules restituat, cepit Geseca tempus visitationis suæ recognoscere.

Anno 1584. 17 jun. serenissimus Ernestus Gesecam venit, exercitium religionis catholicæ in ecclesias reduxit, violata altaria per suffraganeum Monasteriensem Godefridum de Mierle consecrari jussit, ipso demum pentecostes die,

officio divino solemnissime celebrato, ac in electoris serenissimi præsentia habito, per Joannem Nopelium decanum in Cæsaris insula, ad populum sermone, plurimorum oculi ad lachrymas, animi ad erroris cognitionem permoti sunt.

18 Junii civitas Gesekensis ac circumadjacentes pagi, fidem electori jurant, eadem dies indictis Gesecæ comitiis facit initium, in quibus dum inter alia necessum statuitur, ut miles præsidiarius in Gesecam introducatur, quidam ex civibus, quos vertigo Truchsesiana in factiones adhuc movebat, quo nescio temerario suasu, tumultum præsente serenissimo 27 junii excitant. Intellectis hisce Gesekensium insolentiis, serenissimus urbis senatum ad se accersiri jussit de excitata inter cives factione inquisiturus, acerrime illos oratione perstrinxit:

1. Quod perduelles capitulo tam Truchsesio adhæserint, quam nemo magis in Westphaliæ tractu; — 2. Quod litteras in præjudicium capituli subsignaverint; — 3. Quod suo exemplo varias gravesque exactiones in alias urbes ac oppida et pagos induxerint; — 4. Quod equos judicis Schlaun urbe educi ac distrahi jusserint; — 5. Quod Recklinghusium ac Dorstenum exemplo suo ac litteris à capitulo cathedrali abalienare allaboraverint; — 6. Quod post homagium præstitum, conventicula suspecta habuerint, obmurmurarint comitiorum placitis; — 7. Quod dato per campanam signo, cives turmatim convocati ad portam urbis confluxerint, electorales armatos non admissuri; — 8. Quod flagrante tumultu 3 occisi, quidam lethaliter læsi sint; — 9. Quod violatis altaribus sacrisque, gentilium more disturbatis, confessionis Augustanæ præcones advocarint; — 10. Quod iisdem præconibus certos redditus assignarint; quo id jure, qua lege fecerint? — 11. Qua in perduelles pœna animadvertendum putent?

At senatus, serenissimo sic perorante, exterritus, supplex de genibus veniam petiit, jussitque proinde elector:

1. Ut maxime reos de perduellione nominarent; — 2. Ut portarum claves custodiæ militari quam primum extra-

derent; — 3. Ut omne armorum genus, quidquid unquam in urbe reperiri possit, ad curiam deferatur; — 4. Ne conventicula civium habeantur; — 5. Augustanæ confessionis præconi nulli redditus in posterum dentur; — 6. Qui de perduellone rei, metu serenissimi, urbe cesserunt, non recipiantur ad gremium civitatis sine electoris præscitu et gratia speciali; — 7. Exercitium religionis catholicæ ad primævum florem jam restitutum, sic permaneat inperturbatum, ut nemo audeat contradicere; — 8. Judici Schlaun restituantur equi inique ablati; — 9. Domus Joannis Groten fisco cedat; — 10. Unio beneficiorum, tempore Salentini incepta, urgeatur ad exitum, et si quæ bona ecclesiastica abalienata, aut alienis usibus adhibita fuerint, restituantur; — 11. Caveantur civium tumultus in milites electorales; — 12. Non fiat electio senatus, nisi in præsentia cujusdam ex consiliariis nostris.

Quibus omnibus demandatis et præcepto de obedientia in futurum præstanda dato, ad omnes et singulos articulos senatus sese accomodavit.

ad 1. artic. Denominati rei pœnam pecuniariam subiverunt; — ad 2 & 3. Supplices executi sunt; — ad 4. Se expleturos promittunt; de excitato tumultu nihil constat; — ad 5, 6 & 7. Fiet, ut jubet serenissimus. — ad 8. Satisfiet Schlaunio; — ad 9. Fiet satis; — ad 10. Fiet, ut mandatur; — ad 11. Supplicat serenissimo, ne civitatem privilegiis suis exuat, sed indulta ab antecessoribus confirmet et stabiliat; — ad 12. Fiet, ut mandatur.

Tandem finitis Gesecæ comitiis, omnibus prudentissime restitutis, civibusque pacatis, serenissimus 29 junii Rüthenam concessit, ubi pari censura, ut Gesecæ in reos, animadversum, ibidemque in errores inquisitum est. Inde Arensbergam, denique recuperata Westphalia ad Rhenum rediit, et sic catholica religio Gesecæ aliisque locis respirare cepit, Schonæo e Werlis, Jodoco Wahle Rüthena e Geseka Tucksio aliisque vicariis apostatis, ex metu serenissimi profugis, ac ab illo tempore in clericos concubinarios et Lutheranismi reliquias severissime inquisitum est et Joanni Nopelio decano

ad Cæsaris insulam et officiali Werlensi Westphalici districtus visitatio commendata fuit; ut cum Gesecæ in ecclesia s. Cyriaci quidam vicarius more Saxonico e cathedra dicturus audiretur orationi dominicæ subnectere: tuum est regnum, tua est potentia, quod solent Luthericrepæ, interturbatus ab æditua loci et confusus siluit, quam ob rem cum serenissimus elector intellexisset, nondum funditus erutas Lutheri reliquias, Hermanno Mattenkloidt judici Gesekensi per litteras mandavit, ut is armata manu virginum nobilium districtum occuparet, ut patet ex litteris. Nos Ernestus etc. et sic Geseca nostra ab omni hæresi liberata quievit.

**Monumentum**

**Ernesto Bavaro electori serenissimo Urbs Geseca posuit.**

Tantæ molis erat Gesecae solidare labantis,
Quos movit levitas Truchsesiana, pedes.
Miscuerat Gesecæ Circe Saxonica virus,
Illa avidis bibit toxica mista labris.
Ante tamen consul delineat ebrius orbem
Sic pleno cives excitat ore suos
Ex nostris medium qui tanget civibus orbem
Is mecum vere Truchsesianus erit.
Regis ad exemplum Gesekena volubilis errat
Tangit et in gyrum, nescia stare, ruit.
Sic exempla movent, sic flectant mobile vulgus
Consulis exitio, plebs male sana perit.
Ernestus magno Bavarum de sanguine princeps
Amovet auxilio noxia quæque suo,
Ernestus Gesecam pulsa vertigine figit,
Servator pedibus fert titubantis opem
Hoc Circes famuli fugiunt veniente, Mathaeus
Werla tuus praeco, Wichle Rüthena tuus,
Et Gesekena tui Rissingius, Illias, Herboldt
Lintbertus capiunt qua data porta fugam.
Grata refert grates Ernesto libera monstris
Libera pestiferis urbs Gesekena viris.

## Caput decimum.

### Qui et qualiter patres de observantia in Gesecam fuerint introducti.

Pacatis nunc civibus et prudenter non minus quam religiose restitutis omnibus, unum erat, quod timebatur, ipsa

civitas a recta religionis orbita deflexura, et arrepti propositi immemor, tandem antiquas induta tibias claudicatura. Deliberatum est ergo mature, quo congruo medio subveniendum foret, ne Geseca vertigine soluta, sicut et aliæ civitates patiantur recidivam. Hujus causam sive negotium fortiter gessit eminentissimus sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalis et Episcopus Osnabrugensis Franciscus Wilhelmus comes de Wartenburg, egitque apud serenissimum archiepiscopum Coloniensem Ferdinandum, ut patres de observantia Gesecam introducerentur, ibique domicilium figerent, qui vigili studio et zelosissima cura, nutantem in omnem eventum civitatem sublevarent. Assensit ille, assentiunt incolæ et cives ea tamen conditione, ut juventus Gesecana humanioribus imbueretur.

His itaque pactis, anno 1638 patres de observantia civitatem introducti sunt, dataque est illis pro residentia domus Joannis Groten a serenissimo Ernesto Bavaro olim confiscata, de qua vide supra. Ceperunt sub primo præside admodum reverendo patre Alhardo Besken origine Gesekensi ibi domicilium suum figere, missas celebrando, concionando, rudes catechizando donec anno 1693 gymnasium, consentiente Maximiliano Henrico archiepiscopo Coloniensi, erigi ceptum et erectum fundari; cujus erectionem confirmavit illustrissimum capitulum metropolitanum Coloniense sub civitatis consulibus dominis Joanne Wernero Schmieding et Wilhelmo Buchholtz, qui gymnasium recens construi fecere civitatis ære, mille imperialibus æstimato. Ex hoc conventum fuit ex utraque parte, ut patres quinque humaniora docerent, civitas eosdem sustentaret, assignatis cujuslibet sustentationi 25 imperialibus, prout ex litteris super hoc confectis plenius patet. Ab hoc tempore gymnasium apertum, studia inchoata, juventus tam litteris quam moribus instructa, ex qua tot præclari prodierunt, quos metu incurrendae adulationis non est hic texere. Hoc unum sufficiat, quod Geseca nostra gloriari possit in viris, qui in omni statu ecclesiastico, politico, civili sunt admirandi et conspiciendi. Anno 1651 ex residentia patrum factus est conventus, cepitque circa hoc tempus ædificari

nobilis illa basilica in honorem magni Antonii de Padua dedicata. Domum pro conventu inchoando coëmi curavit prænobilis dominus de Westphalen, diæcesis Paderbornensis satrapa provincialis, vulgo Landtdrost, in qua usque ad annum 1690 substiterunt, donec tandem reverendissimus sacri Romani imperii princeps Placidus L. Baro a Droste ex Erwitte, abbas Fuldensis, conventum modernum à fundamentis exstrui et perfici curavit; in quo etiamnunc ipsi patres cum multiplici religionis incremento degunt, Deo incessanter psallentes, sibique et proximo servientes.

---

Atque hæc sunt, benevole lector, quæ ad tui tuorumque utilitatem scriptis reliquit admodum reverendus dominus Jodocus Mattenkloidt concivis tuus, canonicus regularis in Bœdeken. Promisit quidem in frontispicio suorum M. S. duo capita, videlicet de illustribus viris et privilegiis urbis Gesecæ addere et sic totum tractatum complere; ast ut jam in prœmio dictum, curis parochialibus in Unna præpeditus et morte præmatura præventus, juste, quamvis illubenter desiit. Accipe igitur partum hunc, qualiscunque is demum fuerit, ex eodemque majorum tuorum præclare gesta lege et imitare ac in seros annos sanus vive et canus [48]) vale.

Finis.

---

48) carus A. — Zum Schlusse folgt noch eine ziemlich lange Dithyrambe überschrieben: Laus urbis Gesecae, die wir aber, als für die Geschichte gleichgültig weglassen.

# XIV.

## Urkunden-Nachlese.

Unter dieser Rubrik werden wir von Zeit zu Zeit einzelne Urkunden mittheilen, welche entweder durch ihre Fassung, durch Rechtsformen, durch ältere geschichtliche Thatsachen oder durch genealogische Materialien interessant sind, aber in dem Urkundenbuche des Herausgebers keine Stelle finden konnten.

### 1.

**1231** bekundet Propst Gottfried zu Soest, einen Vergleich zwischen Hartmod v. Lon und Hermann v. Senden, über eine Mühle zu Soest und Güter zu Kaldehof, Kellinghausen, Anröchte und Spechteshart.

Nach dem Orig. in der Urk. Samml. Seibertz zu Wildenberg.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Ego Godefridus dei gratia Sosatiensis prepositus omnibus in perpetuum. Deperire possunt contractus hominum processu temporum si robur non habeant litterarum. Notum sit igitur tam presentibus quam futuris quod cum Hartmodus miles de lon ex una parte et Herimannus de sendene ex altera nomine uxoris sue super quibusdam bonis videlicet molendino quod est (in) opido Sosatis et quadam curte que dicitur Kaldehof feodalibus cum omnibus ad ea spectantibus et aliis prediis videlicet Kelinchusen et Anrochte non iure feodali sed iure proprietario ad nostram dignitatem pertinentibus pridem litigassent placuit eisdem bonum pacis quod mediantibus bonis et honestis uiris ordinantes confirmauerunt hoc modo. Prenominatus H. de sendene contradit prelibato H. militi XXV marcas pro XV marcis et dimidia assignans eidem mansum in Spechteshart et mansum in bochouen ut

ab actione quiesceret et bonis eisdem cum uxore et filiis renunciaret. quod idem H. coram nobis in figura iudicii et foro Sosatiensi fideliter adimpleuit. Sane ne quippiam neg-glientia preterirent iterato ad nostram uenientes presentiam tamquam ad principale. supradictam profitentes ordinationem. nostram postulauerunt auctoritatem ut eorum inclinaremur uoluntati pariter et paci. Quod facientes uicti pace precio-que XX marcarum sepius iterata bona totiens dicto H. de sendene et uxori eiusdem paruoque eorum immo uice parui patris sepe dicti H. militi de Sendene quia pusillus non aderat concessimus iure feodali perpetuo possidenda. Ita tamen ut eadem femina Vda conditionis sue mutans ori-ginem nostra cum liberis suis ministerialis efficeretur. quia non aliter ius ad eadem bona ualeret adipisci. quod ita factum est. Vt igitur actio talis inconuulsa permaneat eam presenti scripto cum impressione sigilli nostri pace perpetua communimus. Acta sunt hec anno domini M$^{0}$. CC$^{0}$. XXXI$^{0}$. regnante Friderico imperatore et archiepischopo Coloniensi Hinrico. Testibus hiis presentibus. preposito Hinrico de sancto Seuerino coloniensi. Hermanno canonico Sosaciense et iacobo de aslen eiusdem ecclesie canonico. Theoderico de bilsthene. Gozwino uillico et roberto iudice Sosaciense. theoderico de heldene et Heribordo fratre eius militibus. heinderico de thunen et theoderico de lethen. Wolthero aduocato et theimone et theoderico militibus Sosaciensibus. Gerhardo de medebeke. Rodolpho et Godescalco fratre eius de eruethe. Johanne de huuele. Riguino marscalco. Heinrico et conrado de anlagen. Alberto valkenere. Johanne de alta porta. Conrado de brunwerdinchusen. Radolfo supra riuum et theoderico fratre eius et aliis quam pluribus. [1])

---

1) An der pergamentnen Urkunde ist das in weißem Wachse abgedruckte Siegel des Propsts, mit roth seidenen Strängen befestigt. Es stellt in elliptischer Form eine Figur in weitem Gewande dar, welche in der Linken ein Buch, in der Rechten einen Palmzweig hat. Die undeutlich gewordene Umschrift scheint folgende zu sein: Godefridus . . . . Patrocli Prepositus . . . . . Susatiensis.

2.

**1243. März 3.** sichert die Stadt Schmalenberg dem Hause des Ritters Johann Kolven Freiheit von bürgerlichen Lasten zu, weil durch seine Vermittelung bei Befestigung der Stadt, das dortige erzbischöfliche Castrum davon war getrennt worden.

Nach dem Orig. im Archive des Klosters Grafschaft.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Vniuersis xpi. fidelibus hoc presens scriptum inspecturis. Regenhardus magister burgensium. Consules et vniuersitas ciuium in Smalenburg. In perpetuum. Ne presentis temporis negotia consumat obliuio litterarum et testium adiuuantur testimonio. Nouerit igitur presens xpi. fidelium etas et succedentium futura posteritas quod nos de uoluntate et vnanimi consensu. Johanni militi dicto koluen procuratori domini coloniensis apud nos Smalenberg et suis heredibus. aream suam et mansionem in qua manet. infra opidum nostrum iam dictum liberam relinquimus ab omni censu et pensione ciuitatis nostre de qualibet area contingentem quantum in nobis est. et renuntiamus expresse omni juri quod in ipsa area vel mansione. tam in vigiliis quam in exactionibus vel communibus exspensis faciendis. quocumque modo habere consueuimus ex antiquo. Hac videlicet Ratione. quod per ipsius adiutorium et labores nobis apud dominum nostrum coloniensem obtinebatur vt constructa munitione inter Castrum et opidum, Castrum a nobis excluderemus. Vnde nobis cottidie et maxime tempore Guerre periculum rerum nostrarum et vite. quia nec edificiis nec Castrensibus erat munitum. vidimus imminere. Cupientes igitur hoc factum nostrum publicum rationabili memorie commendare. presentem paginam conscriptam. Sigilli nostri inpressione fecimus Roborari. Datum et actum anno dni. Millesimo. Ducentesimo. XL$^{0}$. tertio. V$^{0}$. Nonas Martii. Coram vniuersitate ciuium. [2]

---

2) An einem durchgezogenen Pergamenriemen hängt das alte Schmalenberger Stadtsiegel in weißem Wachse. Seibertz Urk. Buch III. Tab. VIII Nr. 3. Auf dem Rücken der Urkunde steht: De libertate Curie nostre in Smalenberg. Das Colvensche Haus kam also wohl später an Grafschaft.

3.

**1245.** Juni 15. bekundet Heinrich von Gottes Gnaden Vogt und Obercastellan zu Volmestein, in einem Gerichtsscheine, wie dem Hermann v. Oie, ehemals Villicus (Meyer) in Schwelm, ein wüstes, von ihm neu cultivirtes Vorwerk des Haupthofes Schwelm, von dem Schulten Thiderich v. Honschede, gegen eine Abgabe von 18 Denaren an den Haupthof, mit Zustimmung der Hofesfamilie, erblich überlassen sei.

Nach dem Orig. in der Urk. Sammt. Seibertz zu Wildenberg.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Henricus dei gratia aduocatus in volmutstene et ejusdem loci maior castellanus uniuersis xpi. fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in eo qui est salus omnium. Rerum gestarum noticia propagatur in posteros et ne processu temporis que gesta sunt euanescant et pereant scripturarum memoriis subarrantur et sigillorum clausuris perpetuantur. Innotescat igitur presentibus et sciant posteri quemadmodum Hermannus de oie aliquando in swelme uillicus cum uxore sua et liberis suis iam natis et adhuc nascituris predium quoddam ex multo tempore desolatum et incultum iuxta voruuerche ex nouella plantatione suscitauit et in beneplacito nostro et totius familie curtis in swelme cum uxore sua et liberis suis de manu scoltheti thiderici de honschede recepit. Tali conditione ut singulis annis in festo martini quicunque tunc uillicus est decem et octo denarios persoluat et sic ab omni inquietatione semper liberrimus existat. Ne quis igitur infidelium in posterum hoc factum infirmare uel in irritum reuocare presumpserit uolentibus nobis semper firmum et illesum consistere presentem paginam sigilli nostri firmitatem decreuimus accipere. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M°.CC°.XL°.V°. presidente romane sedi papa nostro innocentio et romanum imperium gubernante friderico scismatico et ecclesie coloniensis epischopatum regente conrado. et coram his testibus bertoldo decano in swelme. et uiro religioso de gyuelberc hedenrico. henrico sacerdote de swerthe. Nycholas in dhudenchusen. ludewico per siluam. Godescalcho in delwic. Tidericho in gyuelberc et binis preconibus ywano et roberto. et aliis quampluribus. Datum aput swelme per manum nostram

in loco iuditiali multis coram astantibus et ipsum factum laudantibus septimo decimo kalendas Julij. [3])

4.

**1252** schenkt Graf Gottfried III. v. Arnsberg dem Walburgis Stifte bei Soest, das Eigenthum der Mühle Uhlenborg welche Ritter Paschedach zu Lehn getragen und ihm resignirt hatte.

Nach dem Orig. im Archive des Walburgisklosters.

In nomine domini amen. Godefridus dei gratia Comes Arnesbergensis vniuersis xpi. fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit in domino Salutem. Tenore presentium protestamur Recognoscimus, et notum facimus presentibus ac futuris. quod cum Paschedach miles molendinum quoddam quod Vlenburich dicitur, quod a nobis tenebatur in feodo, cum aquis. pascuis. pratis. Rubetis. agris cultis et incultis et vniuersis attinentijs ipsius. Ecclesie sancte Walburgis extra muros Susatienses, de pleno consensu Elene vxoris sue, ac legitimorum heredum suorum pro certa summa pecunie uendidisset. Idem Paschedach, et predicta vxor ipsius et Rabodo. Otto. Paschedach et Johannes filij eorum. Rabodo quoque miles et herbordus clericus eiusdem Paschedach fratres ac Aleydis predicti Rabodonis vxor et Conradus eorum filius. prefatum molendinum cum suis pertinentijs, bona et spontanea uoluntate in manus nostras publice resignarunt. Nos itaque circa predictam ecclesiam et sanctimoniales ibidem domino famulantes pium gerentes affectum, proprietatem eiusdem molendini et omnium pertinentium ipsius, de permissione vxoris nostre ac heredum nostrorum liberaliter sibi contulimus, pleno iure imperpetuum obtinendam. In cuius venditionis, Resignationis, et nostre collationis testimonium. Hanc litteram super hijs confectam. Sigilli nostri munimine iussimus Roborari. Petiuimus insuper ad maiorem omnium predictorum euidentiam, presenti littere Sigillum

[3]) Die Urkunde ist auf einer Pergamenthaut, 1 Elle lang und ½ Elle breit, in weiten Linien, der Breite nach und schön geschrieben; das Siegel abgerissen.

opidi Susatiensis apponi. Acta sunt hec Anno gratie M°.CC°.L°. Secundo. In Purificatione beate marie. Regnante Serenissimo Romanorum Rege Wilhelmo. Presidente sancte Coloniensi Ecclesie Archiepiscopo Conrado. Presentes erant. Comes Engelbertus de Marca. Conradus Burggrauius de Stromberich. Nobiles. Hinricus Decanus Susatiensis. Thidericus Thesaurarius. Hoyo. Magister gerlacus de Keflike. Rubertus semigallus tum vicem gerens prepositi Susatiensis. Hinricus de Colonia. Canonici Susatienses. Magister Hinricus auunculus. Albertus Sacerdos. Clerici. Hunoldus de Odinche. Vdo. Brunstenus Sconekint. Hermannus de Binole. Arnoldus Masse. Aduocatus de Sweue. Milites. Albertus in Osthouen. Gotscalcus fernerinc, tunc Magistri Burgensium susatiensium. Menricus Judex. Hildegerus surdus. Volcquinus lipe. Gerhardus et Gotmarus de Medebeke. Hinricus de lippa. Hermannus de Bekinchusen. Johannes paruus. Ludolfus de Ostinchusen. Thetmarus de Boche. philippus schillinc. Jordanus dictus veruere. Rolf et Radolfus fratres de ouili foro.[4])

---

5.

**1275** März 21. verbünden sich Bischof Simon von Paderborn, die Grafen v. Arnsberg, Jülich und Mark zu wechselseitiger Hülfe, wenn ihnen Erzbischof Siegfried, die aus dem Treffen von Zülpich herrührenden Forderungen, nicht bald berichtigen würde.

Nach dem Orig. im Domarchive zu Paderborn.

Nos S(imon) dei gratia paderbornensis Episcopus, G(odefridus) et L(udovicus) natus suus de Arnesberg, W(ilhelmus) Juliacensis et E(ngelbertus) de Marcha Comites et S(imon) nobilis de Lippia. Notum facimus Uniuersis hoc scriptum visuris, quod vnusquisque nostrum alteri auscultabit consentiendo, si venerabilis pater et dominus S(ifridus) coloniensis Archiepiscopus infra hinc et festum beati Michaëlis proximum nobis omnibus debita soluere intendat et

---

4) An der Urkunde hängt das gewöhnliche Siegel des Grafen Gottfried, Seibertz Urk. Buch I Tab. 1 Nr. 5, an grün und roth seidenen Fäden; das der Stadt Soest ist abgefallen.

soluerit, in quibus ratione conflictus apud Zulpick tempore venerabilis domini E(ngelberti) quondam coloniensis Archiepiscopi pactione seu qualicunque modo alio idem nobis tenetur. Idem singuli nostrum, si in amicitia fieri potest, fauorabiliter acceptabunt. Si vero quisquam nostrum solutionem consequi . . . . non contingat, aliis solutione gaudentibus extunc nichilominus prout in aliis literis nostris patentibus inter nos super confederatione mutua datis continetur, nos omnes non consequto solutionem assistentes contra dictum dominum S(ifridum) Archiepiscopum Bellum unanimiter inibimus omni expeditione qua possumus, ut nobis debita persoluat et nos nostris gaudere permittat, fideliter constanter et firmiter resistendo. Quod sigillorum nostrorum robore fecimus stabilire. Nos vero S(imon) nobilis predictus sigillo venerabilis domini S(imonis) Paderbornensis Episcopi tutoris nostris predicti spontanee sumus usi. Actum et datum in villa Meninchusen Anno domini M°. CC°. LXX°. V°. XII Kal. Aprilis.[5])

---

6.

**1277.** Oct. 24. verbündet sich Bischof Conrad von Osnabrück mit Erzbischof Siegfried von Cöln gegen die Grafen von Jülich Mark und Arnsberg.

Nach dem Orig. im Prov. Archive zu Düsseldorff.

In nomine domini amen. Nos Conradus dei gratia in Episcopum Osnaburgensis Ecclesie electus et confirmatus. Notum esse volumus vniuersis et presencium testimonio publico recognoscimus et profitemur, quod nos promisimus et promittimus Reverendo Patri ac domino S(ifrido) Coloniensi archiepiscopo et ecclesie Coloniensi quod nos ab hac hora in antea erimus fidus promotor et adiutor ipsius domini archiepiscopi et suorum Successorum contra .. Juliacensem .. de Marka, et .. de arnsberg Comites et eorum adiutores quoscunque et contra omnes homines, qui ipsius domini archiepiscopi et Ecclesie Coloniensis inimici

---

5) Die Siegel sind abgefallen, die Urkunde hat sehr gelitten; sie ist durchlöchert und zum Theile verbleicht.

et aduersarij sunt in presenti vel erunt in futuro. Preterea promisimus et promittimus quod infra quindenam, postquam ab eo seu suo nuncio requisiti fuerimus, veniemus eidem et suis in adiutorium cum Centum armatis et dextrarijs faleratis et in ipsius et suorum permanebimus adiutorio ad suam voluntatem sub periculis et dampnis nostris. Ita tamen quod idem dominus.. archiepiscopus nobis et nostris, cum ad terram suam veniemus et quamdin ibidem in adiutorio ipsius permansimus, in expensis victualium prouidebit et ex tunc quando et ubi idem dominus.. archiepiscopus requisierit, ex amicis, hominibus et familiaribus nostris in suum et suorum pro possibilitate nostra ducemus auxilium et ei adesse studebimus bona fide ope et opera, consilio et auxilio contra aduersarios suos antedictos et alios quoscunque. Ita quod ei ad vtilitatem et nobis cedere valeat ad honorem. Et ad hec omnia et singula facienda quotienscumque et quandocunque idem dominus.. archiepiscopus vel sui successores requisierint, sine fraude et dolo fideliter adimplenda nos per fidem in manus ipsius domini nostri.. archipiscopi super hoc corporaliter prestitam et insuper per iuramentum alias super hoc per nos corporaliter exhibitum de nostra spontanea et libera voluntate obligamus et profitemur esse, quamdiu vixerimus obligatos. In cuius rei testimonium presens scriptum sigillo nostro et sigillo Nobilis viri frederici Comitis de Reitberch fratris nostri fecimus communiri. Datum et actum Colonie IX°. Kalend. Novembr. anno dni. M°. CC°. LXX°. septimo. [6])

---

6) Die Urk. ist schön geschrieben; das Siegel des Bischofs Conrad abgefallen, das seines Bruders zerbrochen. — In ähnlicher Art verbündete sich am 17ten Novbr. desselben Jahrs Abt Heinrich von Corvey mit Erzbischof Siegfried, ihm in dem vorhabenden Kriege potenter et patenter beizustehen gegen den Landgrafen v. Hessen und gegen die Grafen von Waldeck, Mark und Arnsberg. Lacomblets Urkund. Buch II. Nr. 708.

# Inhalt des ersten Bandes.

# Druckfehler.

---

Trotz aller bei der Correctur angewendeten Sorgfalt, haben sich einzelne Druckfehler eingeschlichen. Dieselben sind im Ganzen so unbedeutend, daß sie der freundliche Leser ohne Mühe entdecken und verbesseren wird. Nur in den Noten zur Chronik der cölnischen Erzbischöfe von Jacobus de Susato sind mehrere Jahrzahlen so erheblich verdruckt, daß wir sie, um Irrungen zu vermeiden, hier anzeigen müssen.

S. 171 N. 26. Hermann I. † nicht 920, sondern 925.
„ 181 „ 46. Rainald † nicht 1164, sondern 1167.
„ 187 „ 54. Engelbert I. † nicht 1220, sondern 1225.
„ 215 „ 70. Rupert kam nicht zur Regierung 24. Ap. 1414, sondern 30. März 1463 und er † nicht 1508, sondern 1480.
„ 429 Z. 3. v. o. ist statt civitatis zu lesen civitates.

Druck von H. F. Grote in Arnsberg.